







BARBERII

HERMES ROMANUS.

TOMUS PRIMUS.

ALTERA EDITIO.

— Dicite Richelii, Musæ, jàm dicite laudes.

— Utrius? — Armando dicite carmen. — utri?

— Plessæum non nôstis? — Utrum? — Vos talis alumni

immemores! vos queis templa dicavit! — Uter?

— Qui fessam cœcâ rerum vertigine gentem....

— Ambo pares: noster dicet utrumque chorus.

Barbier-Vémars

BARBERII
HERMES ROMANUS,

OU


MERCURE LATIN,

PAR J.-N. BARBIER-VÉMARS.

(SECONDE ÉDITION.)



Nil dictu fœdum.
Juv. Sat. 14



TOME PREMIER.

PARIS,

Au Bureau de l'HERMÈS, rue du Cloître Notre-Dame, n° 4.

IMPRIMERIE DE CHAIGNIEAU AINÉ.

1817.

DÉDICACE.

L'Hermès a paru sans protecteurs : à qui le dédier? Quelques Souverains ne dédaignent pas d'y jeter un coup-d'œil : mais comment leur en faire agréer l'hommage? Enseveli dans l'ombre du cabinet, j'ignore jusqu'aux moyens de le leur présenter. Irai-je fatiguer d'éloges intéressés leurs ambassadeurs ou leurs ministres? Ils ont bien d'autres affaires.

Un Homme a quitté, il y a vingt-cinq ans, le sol de la France pour aller fonder à Pétersbourg un établissement d'instruction dont la renommée a rempli l'Europe. Pouvait-on moins attendre de celui qui, à Paris, avait porté la réputation de la vieille Sainte-Barbe à un degré presque idéal? L'absence m'a sans doute effacé de son souvenir : mais il n'a cessé de vivre dans le mien. J'ai redit son nom à mes élèves et à mes enfans.

Je lui dois une éducation sévère, bienfait qu'on ne saurait assez apprécier.

Souvent le bruit de son retour m'a livré aux illusions de la plus douce joie; mon cœur déçu tant de fois ne renonce pourtant pas au bonheur qu'il s'est promis. J'ai revu, après vingt ans, Madame la vicomtesse de Jaucourt, qui avait comblé ma jeunesse de bienfaits : mais je l'ai perdue de nouveau, et pour toujours! Je ne puis me consoler de cette perte que dans les bras de mon autre bienfaiteur, de M. l'abbé Nicolle.

A

CHARLES NICOLLE

ABSENT

DEPUIS UN QUART DE SIÈCLE,

L'HERMÈS EST DÉDIÉ

PAR

BARBIER-VÉMARS.

AVERTISSEMENT.

On rencontre une foule d'hommes qui, après avoir étudié dix ans dans les colléges, finissent par tout oublier. Entraînés par le tourbillon des affaires ou des plaisirs, ils ne trouvent jamais un moment pour revenir sur les classiques dont l'étude a nourri leur jeunesse. Notre HERMÈS les ramène, sans effort, au goût des beautés toujours neuves de la littérature latine.

La lecture est l'aliment de l'esprit : mais l'esprit est souvent paresseux et languit faute de nourriture. Est-il donc si difficile de lire? Non, sans doute, puisque les personnes mêmes qui ne peuvent se résoudre à ouvrir un livre, lisent un Journal avec une sorte d'avidité. C'est qu'une Feuille périodique vient, comme d'elle-même, se placer sous notre main et appeler notre attention : au lieu que, pour entamer la lecture d'un ouvrage, il faut se transporter à sa bibliothèque, où l'embarras du choix et la grosseur des volumes offrent à l'indolence de nouveaux obstacles ou de nouveaux prétextes. Cependant les années s'envolent, et la mémoire finit par n'avoir plus rien à perdre.

L'*Hermès* gagne d'abord le Lecteur par la variété, par la brièveté de ses articles : bientôt, il l'attache par son enjouement. Il ne faut, pour le lire, aucune contention d'esprit : les morceaux dont il se compose n'ont besoin d'aucun commentaire. Il a bien fallu, pour cela, qu'on se permît des changemens, des déplacemens, des retranchemens et même des additions : mais le suffrage des juges les plus sévères prouve qu'un goût sûr a présidé à ces opérations délicates. Voici le plan de l'ouvrage :

La première division présente d'abord quelques vers choisis dans les poëtes de l'antiquité ; ensuite une jolie pièce empruntée aux auteurs morts des siècles modernes ; enfin un grand nombre de productions d'auteurs vivans. Nos latinistes doivent se soumettre à ce rapprochement formidable qui les met devant les maîtres de la lyre romaine, et devant ces disciples également immortels qui en ont tiré de si harmonieux accords.

Cette première partie est terminée par des énigmes, des logogriphes et des charades, bagatelles qui n'ont de prix que par le fini de l'exécution.

La seconde partie est consacrée à la prose. On possède en latin assez d'ouvrages sérieux ; l'*Hermès* présente une foule de bons mots, d'historiettes, de dialogues et de morceaux légers qu'on a tâché de revêtir d'une latinité élégante, quoique facile.

La dernière division de l'ouvrage comprend, sous le titre de NOCTES FABULOSÆ, ou *Veillées amusantes*, des contes d'une certaine étendue. Ils forment déjà une petite bibliothèque latine qu'on ne parcourt pas sans plaisir. On a banni de ces contes les longs discours, les descriptions inutiles, les réflexions oiseuses, les digressions et les épisodes. On en a banni plus sévèrement encore ce qui aurait pu effaroucher la pudeur la plus délicate. La religion et les mœurs ne peuvent être trop respectées dans un ouvrage que l'on met partout entre les mains de la jeunesse.

Nous allons indiquer sommairement quelques-uns des principaux avantages qui résultent de cette publication.

1°. Une correspondance étendue nous a prouvé que beaucoup d'hommes qui se regardaient comme *rouillés*, ont retrouvé, à l'aide de l'*Hermès*, leurs anciennes facultés.

2°. Les jours de congé et surtout pendant les vacances, les parens des élèves des classes supérieures, occupent, d'une manière agréable, le loisir de ces jeunes gens, qui se portent d'eux-mêmes à lire un recueil où ils ne trouvent ni ennui ni épines.

3°. Ceux qui possèdent, à un degré éminent, la langue latine, établissent leur réputation par la voie de nos cahiers, où l'on n'admet que des morceaux recommandables par le mérite du style et par le talent de la composition.

4°. Le public connaît ainsi une foule de jolies pièces, fruit d'une heureuse inspiration, et qui seraient demeurées ensevelies dans le porte-feuille.

5°. En réfléchissant que l'éducation la plus médiocre a coûté au moins six mille francs, et qu'ordinairement tout est perdu trois ans après la sortie du collège, quel est le père qui, même par calcul, ne s'empressera pas de mettre, pour quinze francs par année, entre les mains de son fils, un ouvrage qui lui assure le fruit de ses études, et dont la gaieté triomphe des plus fortes distractions du jeune âge.

Constamment armé du caducée pacifique, notre Mercure n'admet ni satires, ni allusions malignes, ni personnalités. Etranger à la politique, il se concentre dans un monde purement littéraire. Les hommes les plus distingués dans les grands corps de l'état, dans l'Eglise, dans la magistrature, dans la médecine, au barreau et dans les lettres, n'ont pas dédaigné d'y souscrire. Honoré des plus nobles suffrages, l'HERMÈS est répandu dans toute la France, dans les divers états de l'Allemagne, dans le royaume des Pays-Bas, en Suisse, en Angleterre, en Russie et aux Etats-Unis d'Amérique. Il met en rapport tous ceux qui cultivent la langue des Romains ; l'élite de toutes les nations peut seule lui fournir des lecteurs.

L'HERMÈS SERA CLOS IRRÉVOCABLEMENT AVEC LE DOUZIÈME VOLUME.

Le premier numéro de l'HERMÈS ROMANUS a paru au milieu de l'an 1816. Six numéros publiés forment un volume, qui se vend séparément sept francs cinquante centimes. Le troisième volume a commencé en juin 1817.

On souscrit pour un an, c'est-à-dire pour douze numéros ou deux volumes, moyennant QUINZE FRANCS, et l'on reçoit l'ouvrage port franc par la poste.

On s'abonne au bureau de l'HERMÈS, à Paris, rue du cloître Notre-Dame, n° 4, et chez tous les libraires ou directeurs de poste de l'Europe.

Les lettres non affranchies resteront au rebut.

HERMES ROMANUS;

OU

MERCURE LATIN.

Kalendis Juniis anno U. C. MMDLXIX.
N° 1. — 1er Juin 1816. — Tome I.

VETERUM CARMINA.

1. On ne lit pas assez Silius Italicus, auteur du poëme de la seconde guerre punique. La ruine de Sagonte termine le premier livre de cet ouvrage. Nous ne ferons pas au Lecteur l'injure de lui donner ici les détails d'un siège si mémorable. Le poëte peindra, mieux que nous, une population fidelle s'incendiant, s'égorgeant elle-même pour ne pas tomber au pouvoir des Carthaginois. La catastrophe d'Annibal, habilement placée à la fin de ce morceau, produit sur l'ame une vive impression.

L'auteur suppose que Junon, toujours amie de Carthage, envoie Tisiphone à Sagonte, pour inspirer aux habitans la résolution de s'anéantir par leurs propres mains.

Nec mora : totam Erebo demittere jussa Saguntum,
Tisiphone incubuit muris : tremuitque repentè
Mons circùm, et gravior sonuit per littora fluctus.
Sibilat, insurgens capiti, et turgentia circùm
Multus colla micat squalenti tergore serpens.
Mors graditur vasto pandens cava guttura rictu,
Casuroque inhiat populo. Fera turbat Erinnys
Devotam gentem; quamprimùm abrumpere vitam
Attoniti quærunt omnes, lucemque gravantur.
In mediâ stetit urbe rogus; portantque trahuntque
Longæ pacis opes, quæsitaque præmia dextris.
Hùc, quidquid superest, captìm, clypeosque, simùlque

Infaustos jaciunt enses; gaudentque superbi
Victoris prædam flammis donare supremis.
Indè opus aggressi, toto quod nobile mundo:
Invitas maculant cognato sanguine dextras,
Miranturque nefas aversâ mente peractum;
Et facto sceleri illacrymant. Hic, turbidus irâ,
Obliquum impellit materna per ubera ferrum:
Quin et Tisiphone lentum indignata parentûm
Pressit ovans capulum, cunctantemque impulit ensem;
Et dirum insonuit stygio bis terque flagello.
Hic raptam librans dilectæ in colla securim
Conjugis, increpitat sese, mediumque furorem
Projectâ damnat, stupefactus membra, bipenni.
Nec tamen evasisse datur : nàm verbera Erinnys
Incutit, atque atros insibilat ore tumores.
Urbs habitata diù fidei, cœloque parentem
Murorum repetens, ruit inter perfida gentis
Sidoniæ tela, atque immania facta suorum,
Injustis neglecta Deis! Furit ensis, et ignis!
Quique caret flammâ, scelerum est locus! Erigit atro
Nigrantem fumo rogus alta ad sidera nubem.
Ardet in excelso proceri vertice montis
Arx intacta priùs. Resplendet imagine flammæ
AEquor, et in tremulo vibrant incendia ponto.
Irrumpunt vacuam Pœni tot cladibus arcem.
Tùm demùm ad Manes, perfecto munere, Erinnys
Junoni laudata redit; magnamque superba
Exultat rapiens secum sub Tartara turbam.
At vos, sidereæ, quas nulla æquaverit ætas,
Ite, decus terrarum animæ, venerabile vulgus,
Elysium, et castas sedes decorate piorum.
Cui verò non æqua dedit victoria nomen,
(Audite, ô gentes, nè rumpite fœdera pacis,
Nec regnis postferte fidem) vagus, exul in orbe
Errabit toto, patriis ejectus ab oris.
Sæpè Saguntinis somnos exterritus umbris

Optabit cecidisse manu; ferroque negato,
Invictus quondàm Stygias bellator ad undas
Deformata feret liventi membra veneno.

---

2. Catulle, sans argent, invite Fabullus, son ami, à un souper fin.

Cœnabis benè, mi Fabulle, apud me,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam, non sine copiâ ciborum,
Et vino, et sale, et omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cœnabis benè : nàm tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contrà accipies meros amores,
Seu quid suavius elegantiusve est :
Nàm unguentum dabò, quo velint perungi
Unguento Veneres Cupidinesque;
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

RECENTIORUM CARMINA.

1. Sarbievius avait fait une étude particulière des poètes latins. Voici une de ses plus belles odes, la septième du premier livre. Il s'y plaint de l'inconstance de la Fortune.

Ad Telephum Lycum.

Eheu, Telephe, ludimur;
Fortunæ volucri ludimur impetu.
AEternum nihil est; cadet
Quod surgit : sed adhùc surget, et occidet;
Ritu præcipitis pilæ
Quæ, quum pulsa cavâ rejicitur manu,
Nunc lenes secat africos,
Nunc terræ refugis absilit ictibus.
Vesper vespere truditur,
Sed nunc deterior, nunc melior subit.

Hæc quam decipimus lyrâ,
Eheu! quàm celeres Hora quatit notos!
Magnas intereà rapit
Urbesque et populos, et miserabili
Reges subruit impetu.
Et sceptri decus, et regna cadentium
Permiscet cineri ducum;
Auratasque trabes et penetralia,
Et cives, simul et super
Eversis sepelit turribus oppida:
Ac mundi procùl arduas
Stragesque et cumulos, ac procerum pyras
Festâ nube supervolat.
Dùm nobis taciti diffugiunt dies,
Eheu, Telephe, ludimur,
Fatorum rapidâ ludimur orbitâ.
An nos fallimur? an suam
Rerum pulcher habet vultus imaginem;
Et sunt quæ, Lyce, cernimus?
An peccant fatuis lumina palpebris,
Et mendax oculi vitrum?
An longi trahitur fabula somnii?

---

a. L'ancienne Université de Paris ayant donné pour sujet de concours l'invention du paratonnerre par Franklin, le premier prix fut décerné à la pièce suivante. Elle est de M. Dewailly, aujourd'hui proviseur du collège royal de Henri IV.

Discant mortales meritum persolvere honorem
Doctrinæ, doctisque viris. Melioribus annis
Nomen adoratum contemnere desinat ætas
Nostra, levi fuco capta et mendacibus umbris.
Humano generi quot opes fructusque benignos
Uberiore ferat fœcunda Scientia partu
Audiat, et si jàm meritorum oblita priorum est,
Fors antiqua recens revocabit munera munus.

Quis rapidos ignes et ineluctabile fulmen
Artibus humanis eludi posse putavit?
Ecce tamen causas rerum indagare latentes
Doctum Franklinium nil jàm fera fulmina terrent.
Elisos ignes et tela trisulca vomentem
Exarmare polum, Cœlo dare jura tonanti
Novit, et ad nutum divertere ductile fulmen.

Ergò indignatur Cœlum mortalia jussa,
Vindictamque parat; jubet ipsa reposcere pœnas
Fulmina, delusos animosè ultura furores.
Continuò venti assurgunt, atrosque vapores
Conglomerant; ingens simùl, impellente procellâ,
Adventat nimbus qui, sulphure fœtus et igne,
Docti ad tecta viri magno molimine tendit.
Funereis alis nox incubat; omnia latè
Per campos humilis stravit pavor: unus amicos
Inter, et attonitos vicinâ morte sodales,
Debacchantem iram Cœli insanosque furores
Franklinius placido securus suspicit ore.

Protinùs emicuit nubes, fragor increpat ingens,
Omne tonat Cœlum; nec fulminis ille videtur
Esse fragor, sed nescio quid vel tristius ipso
Fulmine, Cœlorum vox formidanda furentûm:
Tanquàm illabatur ruiturum fractus in orbem,
Atque avulsa polo trahat axis sidera secum.
Summaque sulphureus jàm turbo in tecta ruebat;
Excipit illum auro præfulgens ferrea cuspis.
Detrudit rutilos vis imperiosa paratam
In foveam tractus; flammasque haud spontè sequaces
Subjectis sepelivit aquis, unoque sepulchro
Contumulat Cœli furias hominumque pavores.

Intereà victor tumulatum respicit hostem
Vir sapiens, fremitusque audit tranquillus inanes.
Arte suâ incolumis, non se vicisse superbit
Fulmineos ignes ultricemque ætheris iram.

Gaudet at inventâ, multis quòd proderit, arte;
Arte suâ prodesse etiàm post funera gaudet,
Et lætus faustum mortalibus accipit omen.

3. A un nouveau noble qui s'était fait faire une généalogie.

Mater erat netrix; pater in mare retia jecit :
Indè tuum decorat linea longa genus. Owen.

4. Circé. Cantate de Rousseau; traduction rigoureuse.

Aeriæ nudo rupis de culmine, Circe
Decolor, attonita, et jàm morte natantibus æquor
Subjectum lustrans oculis, lugebat amorem
Spretum. Prospectare ratem fugientis Ulyssei
Se putat, ac vanâ dùm ludit imagine sensus,
Absentem revocat supplex, et inania jactat
Verba Notis, fletu et singultibus interrupta :

« Siste, inquit, nostrique auctor miserere doloris;
Et semel ad nostras lumina flecte plagas.
Sive redire negas ad mutua gaudia, saltem
Ut mihi matures funera, sæve, redi.

« Immeritam laceras, sed amo mea vulnera : demens
Accepta incauto pectore vulnera amo.
Tantum at fastidis odioque rependis amorem!
Hos ignes Superi nùm scelus esse putant?

« Siste, ah! siste meique auctor miserere doloris,
Et semel ad nostras lumina flecte plagas.
Sive redire negas ad mutua gaudia, saltem
Ut mihi matures funera, sæve, redi. »

Ut questus nil proficiunt, mox confugit artes
Ad notas, retrahi si quâ vi possit Ulysseus.
Tænarias fauces, Phlegethontaque, et omnia Averni
Numina, luctificam Alecto, stygiasque Sorores,
Tartareumque Canem, Nemesimque Hecatenque ululatu
Thessalico vocat. En subito madet ara cruore;

Fulmina detonuêre polo, flammâque voraci
Corripuêre rogum crepitantem; mille vapores
Involvunt trepidum piceâ caligine Solem;
AEterno nocturna resistunt sidera cursu
Turbata, occurruntque retorti fontibus amnes;
Ipse pavet cæco Pluton sub gurgite: at Illa

Voce tremendâ
Tartara turbat;
Murmure diro
Perstrepit aer;
Horrida mundo
Incubuit nox.

Viscera terræ
Intremuerunt;
Acta furore
Mugiit unda;
Luna cruento
Axe refugit.

Pallentes Umbras, mediâque in morte quietos
Exagitat Manes. Larvæ monumenta relinquunt
Exsangues; latè longis ululatibus æther
Personat; obscuris stridet fremebunda cavernis
Ventorum excantata cohors, et carcere rupto
Sibila terrificis clamoribus horrida miscent.

Quid speras? quid vana juvant portenta furentem?
Te fata impediunt, numenque potentius urget.
I, terram quate; sed quamvis tibi pareat Orcus,
Non facient, quod forma nequit præstare, furores.

Nunquàm invitus amor vinclis aut arte tenetur;
Quis tanti possit temnere jura Dei?
Nec dominum, nec vim patitur; cunctisque superbus
Imperat, addictus nullius arbitrio.

Rura gelu quæ vastat hyems, mox flante marito
Flora venusta tenet;
Æolus Alcyonem fugat, et fugit ipse fugatum
Æolus Alcyonem:
Ast ubi præpetibus pennis amor avolat, unus
Non revocatur amor.

BARBIER-VÉMARS.

1. ÉNIGME.

Nulla tibi sinè me spectacula panderet orbis;
Urgerent sinè me sidera vana polum.
Immensos cœli diffuso corpore tractus
Compleo: me tenuis rimula sæpè capit.
Fulminis infelix comes, et comes aurea Solis,
Ocyor ast ipso fulmine prosilio.
Me fragile infringit vitrum, me frangit et aer
Vel placidus, frangit tarda paludis aqua.
Quin et mortalis me vili industria filo
Alligat invitam, me genus æthereum.

BARBIER-VÉMARS.

2. LOGOGRIPHE.

Sunt mihi quinque pedes, digiti sunt quinque; resecto
Vertice, bis deni digiti sunt pesque gemellus.
Redde caput, sed cor cum collo deme, quaternis
Insisto pedibus, magni de semine montis.
Denique disjectos temerè si colligis artus,
Calliopen facilè invenies, unamve sororum;
Antiqui Regis veniet venerabile nomen;
Mascula tùm soboles, et duplex formą rogandi.

BARBIER-VÉMARS.

3. CHARADE.

Pars prior exsultat caput objectare periclis;
Posterior ducit, pascit, gerit, efficit, urget:
Summa, ferox animis, audet certare priori.

BARBIER-VÉMARS.

MISCELLANEA.

VETERUM OPERA.

1. Sénèque console Lucilius de la mort d'un ami.

Molestè fers, mi Lucili, decessisse Flaccum, amicum tuum : plus tamen æquo dolere te nolo. Nobis ignosci potest prolapsis ad lacrymas, si non nimiæ decurrunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant.

Id agamus ut jucunda fiat nobis amissorum recordatio. Mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est : habui enim illos tanquàm amissurus ; amisi tanquàm habeam. Desine beneficium naturæ malè interpretari ; abstulit, sed dederat.

Quis ferat hos qui, quùm negligentissimè amicos habeant, miserrimè lugent ; nec amant quemquam, nisi quùm perdiderunt? Quem amabas amisisti ; quære quem ames: Satius est amicum reparare quàm flere.

Annum fœminis ad lugendum constituêre majores, non ut tamdiù lugerent, sed nè diutiùs. Viris nullum legitimum tempus est, quià nullum honestum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis à rogo, vix à cadavere revulsis, cui lacrymæ in totum mensem duraverint? Nulla res citiùs in odium

venit quàm dolor; qui recens consolatorem invenit, inveteratus verò deridetur : nec immeritò, aut enìm simulatus aut stultus est.

RECENTIORUM OPERA.

1. Nous commençons par Erasme, né à Rotterdam en 1467. La grande place de cette ville est ornée de sa statue : il a mérité un tel honneur.

L'art d'écrire les Lettres.

Qui in epistolis unum aliquid vel requirunt vel præscribunt, ii mihi de re tàm multiplici, propèque in infinitum variâ, nimis angustè atque arctè videntur agere. Neque sanè ità multò minùs absurdè facere eos existimo, quàm si sutor omni pedi ad eamdem formam crepidam velit consuere.

Negant epistolam ferendam esse, nisi quæ intrà exilem dicendi figuram sese contineat; nisi quæ illaborata dissolutaque fluat, et omnibus contentionis nervis careat; nisi quæ vulgo mutuatis verbis contexta sit; nisi denique quæ, brevitate ipsâ, epistolæ nomen mereatur, potiusquàm voluminis.

Ergò mihi blatero quispiam, arreptâ censoriâ virgulâ, Solonis leges dictabit, clamabitque delendam esse epistolam quæ non intrà duodecim versiculos constiterit : hanc enim epistolari modo præfixam esse metam. Obliteremus igitur, hoc censore, plerasque Pla-

tonis, Ciceronis, Plinii, Senecæ, divi Hieronymi epistolas, contemptis istorum limitibus ad justum usque volumen porrectas.

Quid? si argumentum varium et amplum objectum erit, tu nihilominùs me cohibebis, et circulum istum tuum magicum egredi vetabis? Fabius scribit absurdum fore si quis Herculis personam et cothurnos infanti tribuat: verùm multò videbitur absurdius, si infantis fasciolas calceolosque Herculi coneris accommodare. Gravius est periculum in re copiosà contrahi, quàm in re non amplà copiosiorem fieri: propterea quòd supervacua fortassè cum tædio leguntur, certè necessaria non nisi magno damno prætereuntur.

Neque rursùs hos probare volo qui, ridiculè copiam affectantes, emendicatis vocabulis, et malè consutis sententiarum centonibus, epistolam infarciant. Nihil enim infantià loquacius. Quid tandem est brevitatem præstare? Nempè maximam rerum vim, quoad fieri potest, in pauca conferre: non autem pauca scribere, quod alioquì vel indoctissimus quisque desidiosissimusque facillimè possit.

Nulla epistola non brevis videbitur, in quâ, sine argumenti dispendio, nihil adimere queas; quæ sic est scripta, ut sæpiùs relecta, tamen non satiet: quum tua interim, vel intrà duodecim versiculos consistens, adeò brevis non sit, ut Iliade quoque videatur prolixior.

2. L'étude des langues mortes a souvent trouvé des détracteurs. Quoique les argumens de ces renards sans queue n'aient jamais fait fortune, et que les deux langues classiques de l'antiquité soient en honneur chez tous les peuples qui ont une littérature, il est toujours utile de défendre les saines doctrines. L'apologie du grec et du latin ne pouvait être confiée à un avocat plus éloquent que M. Planche, docteur de la faculté des lettres et professeur de rhétorique au Lycée Bourbon de Paris.

Nec vos moveat, quod de linguis mortuis quotidiè jactatur ab imperitis. Aiunt, dictitant linguas græcam et romanam esse mortuas. Si hoc nomine vocarent antiquorum Phœnicum et Ægyptiorum sermones qui cum illis gentibus consepulti jacent, nemo sanè refragaretur; sed quis ferat ab iis mortuas vocari linguas illas, quæ Græcorum ac Romanorum monumentis ac disciplinis traditæ, de manu in manum per continuatam eruditorum et intelligentium virorum seriem, ad hanc nostram ætatem pervenerunt; quæ certis regulis ac præceptionibus alligatæ, certis optimorum Scriptorum exemplis et diuturnitate temporum confirmatæ, multis jam sæculis fixæ et immutabiles permanent; quas tanquàm vernaculas semper usurpavit, et etiamnùm usurpat, aut in scriptis aut in colloquiis, hæc æterna, quæ totum orbem complectitur, doctissimorum virorum respublica? Nùm id mortuum est, ex quo recentiorum populorum sermones, quidquid vividum ac vitale, quidquid sanguinis et

succi habent expresserunt? Num id mortuum, quod omnibus omnium gentium scriptoribus spiritum et animum afflavit? Dedoceantur ergò falsis uti vocibus utriusque sermonis calumniatores; sciant illam quam dicunt mortem, esse vitam et immortalitatem.

At, inquiunt, quidquid hodiè sermone latino efferimus risum Ciceroni moveret. Quidnam ille derideret? An verba, an verborum collocandorum rationem? Sed et verba et verborum collocandorum rationem et dicendi formas ab ipso Tullio hausimus, arripuimus, expressimus. Ipso latini sermonis præceptore usi sumus. Toto denique ductu orationis ac filo ipsum Tullium quasi vestigiis persequimur. Cur ille discipulos semper in verba magistri jurantes derideret, suî derisor?

Quæram insuper ab istis elegantibus recentioris latinitatis contemptoribus, undè omnes omnium gentium intelligentes viri de Erasmi, Muretii, Juvencii stylo unâ et mente et voce consentiant? Fingamus coràm Italis, Germanis et Gallis in eodem conventu sedentibus orationem latinam haberi. Cur eadem omnes uno ore aut probabunt aut respuent? cur eadem ab omnibus aut murmure aut plausu excipientur? undè ille de malâ aut bonâ latinitate consensus; undè illa unanimitas inter homines regione, moribus, linguis varios, nisi ex illo usu certo et explorato, quem in pervol-

vendis, conferendis, ediscendis quotidiè optimis scriptoribus comparaverunt? Quiquidem usus eò purior est, quòd in scriptis omnia sunt accuratiora et comptiora quàm in colloquiis.

HISTORIETTES. BONS MOTS.

1. Les bottes à bon marché.

Quidam ingressus officinam calcearii, conjecerat oculos in ocreas ibi pensiles. Rogat sutor nùm vellet ocreas. Annuente homine, quærit aptas tibiis illius; inventas profert alacriter et, ut solent, inducit illi. Ubi jàm homo esset eleganter ocreatus, laudabat ocreas. Calcearius, tacitè gaudens, succinebat illi laudanti, sperans pretium æquius, posteaquàm emptori merx tantòperè placeret. Et jàm erat nonnulla contracta familiaritas. Hìc emptor: « Dic mihi, inquit, bonâ fide, nunquàmne usu venit tibi, ut, quem sic ocreis ad cursum armâsses, quemadmodùm nunc armàsti me, abierit non numerato pretio? — Nunquàm. — Atqui si fortè veniat usu, quid tu tùm faceres? — Consequerer fugientem. — Seriòne ista dicis, an joco? — Planè seriò loquor, et seriò facerem. — Experiar: en prò ocreis præcurro, tu cursu sequere ». Simùlque cum dicto homo conjecit se in pedes. Calcearius è vestigio consecutus est, quantùm poterat, clamitans « Tenete furem, tenete furem ».

Ad hanc vocem quum cives undique prosiliissent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos fur noster, ne quis manum injiceret. Ridens scilicet ac vultu placido, « Nè quis inquit, remoretur cursum nostrum; certamen est de cupâ cerevisiæ. » Itaque jàm omnes præbere sese certaminis spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hâc occasione anteverteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans et anhelus domum rediit.

2. La vue et l'ouie.

Turris erat altissima cujus arduam molem quum multi mirarentur, « Stupete potiùs, exclamavit Vasco quidam, quàm acer mihi sit oculorum sensus, qui muscam in ipso turris fastigio ambulantem planè videam; jurato mihi credite. Tùm adstantium unus : « Et injurato credam equidem, ait : nàm, ut prospicio parùm, sic liquidissimè audio; et ipsa musca pedum sonitu fidem tibi facit.

3. Le paysan au bureau de change de monnaies.

Quum villicus quidam, è ruris sui finibus primùm egressus, Lutetiam venisset, singula sic demirabatur, sic singulis inhiabat, ut staret interdùm penè saxeus. Perlustratis demùm tabernis jàm compluribus, argentariam tabernam videt. Ibi mercium nihil, auri et argenti plurimùm. Diù perfrictâ fronte,

quid illic veneat ne suspicatur quidem; nàm quidvis faciliùs credat quàm vendi pecuniam. Tandem discere maluit quàm pravè pudens nescire; tabernamque ingressus, salutato mensario, « Ignosces, ait, impudentiæ meæ, qui te sic interpellârim; verùm scire pervelim quidnam in hâc tabernâ emi possit? — Asinina capita vendo, respondet mensarius hominem naso suspendens. — Pol, reposuit rusticus, est quòd laudes emptorum frequentiam, qui istius modi caput hîc prorsùs unum reliquerint. »

4. Le philosophe et le matelot.

Nautæ navem conscendentis Philosophus quidam arreptâ manu, « Amice, inquit, quî fit ut te mari committere audeas? Pater tuus naufragio periit; avus, proavus et atavus eodem fato oppressi sunt. Næ tu cæcâ temeritate abripi te pateris! — Vir doctissime, ait Nauta, te meæ saluti sic prospicere gaudeo vehementer: Verùm dic, oro, ubi pater tuus obierit? — Proprio lectulo placidè compositus; neque ullum è majoribus meis, ad ultimam memoriam, aliter obiisse constat. — Quî fit igitur, exclamavit Nauta, ut te lectulo componere audeas? »

5. Le voleur mal avisé.

Quum fur, nocturno assultu, per patentem fenestram, in cubiculum pauperrimi cu-

jusdam hominis irrepsisset, porrectisque in incertum manibus prædam venaretur, « Heus tu, ait pauper fortè vigil, quid noctu quæris ubi egomet, vel interdiù, nihil invenio? »

6. Les lunettes.

Rusticus quidam quum in urbem vicinam frumentum comportâsset, saccis venditis, conspicillorum opificis tabernam ingreditur, et conspicillum rogat quàm optimum; nasumque aptè instructum supinans, admoto oculis libro, mercem non probat. Mutatis ter, quaterve conspicillis, quum non ideò meliùs ille legeret, mercator, victâ demùm patientiâ, « Amice, inquit, forsàn elementa nunquàm didicisti? — Meherclè, respondit rusticus, si legere scirem, istis tuis quid mihi opus esset conspicillis?

7. L'ordonnance du médecin. (Voyez page 183.)

Rusticus ægrotans medicum accersivit qui præscriptum chartæ quùm mandavisset, eam obtulit homini : « Sume hoc, dicens, et intrà biduum convalueris. » Itaque summo manè chartam eamdem, aquâ probè maceratam, sorbuit rusticus, et repentè morbum depulit.

8. L'épreuve.

Bardus quidam quum audiisset corvis ultrà ducentesimum annum ævum prorogari, unum emit adhùc implumem, eâ mente scilicet ut ipse rem firmatione probaret.

9. Le découpeur mal-adroit.

Diribitor quidam, parùm dexter, quum assam anatem in frusta conaretur secare, lubrico cultri lapsu avem è catino in pavimentum impulit, catinum ipsum invertit, seque et assidentium nonnullos jure conspersit. Quas sordes quum placidè elueret, « At interim, exclamat unus convivarum, anatem canis auferet! — Nihil est quod timeas, inquit diribitor : avem enim pede ità premo ut eam canis tantùm queat lambere. »

10. La chemise de trop.

Bello flagrante, militibusque in pagum quemdam ad hospites deductis, unus paganorum quum ad proximum vicum tenderet, incidit in tres armatos à quibus pecuniâ spoliatus est. De his apud centurionem habet querimoniam; qui hominem interpellans « Dic, inquit, an, quum id furtum es passus, eamdem vestem quàm nunc geris, gereres? — Eamdem prorsùs. — Liquet igitur meos non fuisse milites in quos incidisti; mei enim tibi ne subuculam quidem reliquissent. »

Le Conte suivant est pris ou plutôt imité d'Apulée. Il a fallu y faire beaucoup de changemens et de suppressions, tant pour réduire l'ouvrage aux proportions que comporte notre recueil, que pour d'autres motifs dont il est inutile de fatiguer le lecteur.

NOCTES FABULOSÆ.

ASINUS AUREUS.

CAPUT PRIMUM.

1. Apulée fait un voyage à Hypate en Thessalie.

Thessaliam ego Lucius Apuleius ex negotio petebam. Quum Hypatam pervenissem, quæ civitas cunctæ provinciæ antepollet, de quâdam anu fortè obviâ percontor : « — Nôstine Milonem, unum è primoribus? — Quidni? — Dic, oro, parens optima, quibus diversetur ædibus. — Videsne extremas fenestras, quæ foris urbem prospiciunt? Inibi iste diversatur Milo, ampliter nummatus, verùm extremæ avaritiæ et sordis infimæ; infamis homo, fœnerator acerrimus. Exiguo lare inclusus, et ærugini semper intentus, habitu mendici publicè incedit, neque præter unicam pascit ancillulam. Uxorem etiàm habet, calamitatis suæ comitem, avaritiæ æmulam, imò longè pejorem viro. »

2. Il descend chez l'usurier Milon.

Ad hæc ego mecum : « Benignè, inquam, Demeas meus in me consuluit, qui peregrinantem cum tali viro conciliavit, in cujus hospitio nec fumi nec nidoris nebulam vere-

rer. » Et simùl progressus, ostium accedo, et januam firmiter oppessulatam pulsare incipio. Tandem anicula quædam procedens : « Heus tu, inquit, qui tàm fortiter fores verberâsti, sub quâ arrhabone mutuari cupis ? — Dic, inquam, an intrà ædes herum tuum offenderim ? — Planè; sed quæ causa quæstionis hujus ? — Litteras ei à Corinthio Demeâ scriptas ad eum reddo. — Dùm annuntio hæc, ibidem opperitor. » Et cum dicto rursùm foribus oppessulatis, intrò capessit. Modicò deindè regressa, patefactis ædibus, « Rogat te Milo, » inquit. Intuli me, eumque accubantem exiguo admodùm grabatulo, et commodùm cœnare incipientem invenio.

3. Milon lui offre l'hospitalité.

Juxtà Milonem sedebat uxor Pamphile, et ipsa habitu squalido. Illicò ei litteras Demeæ trado. Quibus properiter lectis, « Amo, inquit, meum Demeam qui mihi tantum conciliavit hospitem. » Tùm cogit uxorem decedere, utque in ejus locum assideam jubet. Me, verecundiâ cunctantem, arreptâ laciniâ detrahens, « Asside, inquit, istic. Nàm præ metu latronum, nec sufficientem supellectilem parare nobis licet. Brevitatem gurgustioli nostri nè spernas peto ; majorem domum dignatione tuâ feceris. » Et vocatâ ancillulâ : « Fotis, inquit, sarcinulas hospitis susceptas

eum fide conde in illud cubiculum. Simùl è promptuario oleum unctui, et lintea tersui et cætera hùc eidem usui profer ocyùs; et hospitem meum Lucium produc ad proximas balneas. Satis arduo itinere atque prolixo fatigatus est. »

4. Apulée ménage la bourse de Milon.

His ego auditis, mores atque parcimoniam ratiocinans Milonis, volensque me arctiùs ei conciliare: « Nihil, inquam, rerum istarum quæ itineris ubique nos comitantur indigemus; sed et balneas facilè percontabimur. Planè, quod est mihi præcipuum, equo qui me strenuè pervexit, fœnum atque hordeum, acceptis istis nummulis, tu Fotis emito. » His actis, et rebus meis in illo cubiculo conditis, perrexi ipse ad balneas. Lautus ad hospitium Milonis me reporto; quumque is me ad cœnam vocaret, excusavi comiter quòd viæ vexationem non cibo sed somno censerem diluendam. At ille, injectâ dextrâ, clementer me trahere adoritur. Ac dùm cunctor, dùm modestè renitor: « Non priùs, inquit, discedam quàm sequaris; » et dictum jurejurando secutus, jàm obstinationi suæ me ingratìs obedientem perducit ad illum suum grabatum.

5. Le souper se passe en conversations.

Residenti mihi Milo, « Quàm salvè agit, inquit, Demeas noster? Quid uxor, quid liberi,

quid vernaculi? » Narro singula. Percontatur accuratiùs causas etiàm peregrinationis meæ : quas ubi probè protuli, jàm et de patriâ nostrâ et ejus primoribus, ac denique de ipso præside scrupulosissimè explorat. Sed ubi me, post itineris tàm sævi vexationem, sentit in verba media somnulentum desinere, tandem patitur cubitum concedere. Evasi aliquandò rancidi senis loquax et famelicum convivium, somno, non cibo gravatus, cœnatus solis fabulis; et cubiculum ingressus optatæ me quieti tradidi.

CAPUT SECUNDUM.

6. Apulée s'occupe de magie.

Ut primùm, nocte discussâ, sol novus diem fecit, et somno simùl emersus et lectulo, urbem lustrare cœpi. « Media teneo, aiebam, Thessaliæ loca; ipsa video artis magicæ incunabula, cujus cantamina totius orbis consono ore celebrantur. Hìc fama est magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes expirare, solem inhiberi, lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri. » Talia mecum reputans, sititor alioquì novitatis, suspensus voto simùl et studio, curiosè cuncta considerabam. Nec fuit in illâ civitate quod, aspiciens, id crederem esse quod esset. Omnia prorsùs

ferali murmure in aliam effigiem translata existimabam; ut et lapides quos offenderem de homine duratos, et aves quas audirem indidem plumatas, et fontanos latices de corporibus humanis effluxisse crederem. Jàm mihi statuæ et imagines incessuræ, parietes locuturi, boves dicturi præsagium videbantur.

7. Il rencontre Byrrhène, cousine de sa mère.

Sic attonitus ostiatìm singula pererrabam. Et ecce mulierem quamdam frequenti stipatam famulatione obviam habeo. Aurum in gemmis et in tunicis, ibi implexum, hîc intextum, matronam profectò confitebatur. Quæ ut primùm me conspexit : « Est, inquit, Herculès, hic Lucius. » Statìm ego rubore suffusus, retecto capite, restiti. At illa : « En sanctissimæ Salviæ matris generosa proles. Ego te, Luci, meis his manibus educavi. Ego et parens tua ex familiâ Plutarchi ambæ prognatæ sumus, eamdem nutricem simùl bibimus, et in nexu germanitatis unà coaluimus. Ego sum Byrrhena illa cujus fortè sæpiusculè nomen inter tuos frequentatum educatores retines. Itaque hospitio meo utere; imò verò jàm tuo lare proprio. » Ad hæc ego, jàm sermonis ipsius morâ rubore digesto, « Absit, inquam, parens, ut Milonem hospitem sinè ullâ querelâ deseram. Sed planè quod, officiis integris, potest effici curabo sedulò. Quotiès

itineris hujus ratio nascetur, numquàm erit ut non ad te divertar. »

8. Il admire chez Byrrhène des chefs-d'œuvre de sculpture.

Paucis admodùm confectis passibus, ad domum Byrrhenæ pervenimus. Atria longè pulcherrima, columnis quadrifariàm per singulos angulos stantibus. Ecce lapis Parius in Dianam factus tenet libratam totius loci medietatem: signum perfectè luculentum, introeuntibus obvium et majestate numinis venerabile. Canes utrimque secùs Deæ latera muniunt; qui canes et ipsi lapis erant. His oculi minantur, aures rigent, nares hiant, ora sæviunt; et sicundè latratus de proximo ingruerit, eum putabis de faucibus lapidis exire. Ponè tergum Deæ saxum insurgit, in speluncæ modum. Sub extremâ saxi margine poma et uvæ faberrimè politæ dependent, quas ars, æmula naturæ, veritati similes explicuit. Putes ad cibum indè quædam, quum autumnus maturum colorem afflaverit, posse decerpi.

9. Byrrhène lui apprend que Pamphile est magicienne.

Hæc identidem perlustrans eximiè delectabar. « Per hanc Deam, inquit Byrrhena, ô Luci carissime, quàm anxiè tibi metuo! Cave tibi, sed cave fortiter à malis artibus et facinorosis illecebris Pamphiles illius quæ cum Milone isto, quem dicis hospitem, nupta est.

Maga primi nominis creditur. Multos juvenes in saxa et pecora mutavit: nonnullos prorsùs exstinxit. Hæc tibi cavenda censeo. » At ego curiosus alioquin, ut primùm artis magicæ semper optatum nomen audivi, incredibili perfusus sum gaudio. Tantùm abfuit ut à Pamphile cavere vellem, ut etiàm ultrò gestirem tali me magisterio, amplâ cum mercede tradere, et prorsùs in ipsum barathrum saltu concito præcipitare. Festinus denique et vecors animi, manu Byrrhenæ velut catenâ quâdam memet expedio, et *Salve* properè addito, ad Milonis hospitium perniciter evolo.

10. Il est charmé de cette découverte.

Dùm amenti similis accelero vestigium: « Age, inquam, ô Luci, evigila et tecum esto. Habes exoptatam occasionem. Aufer formidines pueriles. Cominùs cum re ipsâ gnaviter congredere. Anicula illa Fotis, Pamphiles famula, non minùs avaritiâ laborat quàm herus et domina. Auro vinces ut tibi arcana, quæ gestis cognoscere, aperiat. » Hæc mecum ipse disputans, fores Milonis accedo; nec tamen domi Milonem vel uxorem ejus offendo, sed tantùm Fotidem, quæ suis dominis parabat viscus fartim concisum, cœnam avaro fœneratore dignissimam. Blandè alloquor aniculam, ejusque animum sensìm invado; mox consilium meum aperio; renitentem aureolis compluri-

bus expugno, sanctam denique silentii fidem polliceor.

CAPUT TERTIUM.

1°. Fotis révèle les secrets de Pamphile.

« Paveo, inquit Fotis, et formido domûs hujus operta detegere. At compulisti, nescio quo pacto, ut ea tibi, quæ sola mortalium novi, indícarem. Jàm igitur scies omnem domûs nostræ statum; jàm scies illa miranda arcana, quibus obediunt Manes, serviunt elementa. Circà mediam noctem solet domina mea scíndulare tectum conscendere, altrinsecùs ædium. Tectum illud ad orientales cæterosque aspectus ventis pervium, maximè artibus suis commodum, secretò colit. Idoneo apparatu instruxit feralem officinam. Ibi multa sepultorum cadaverum membra : hìc nares et digiti; illìc trucidatorum servatus cruor, et extortæ dentibus ferarum, calvariæ. Pamphile nunc rore fontano litat, nunc lacte vaccino, nunc melle montano. Spirantes fibras, aut capillos in mutuos nexus obditos dat vivis carbonibus adolendos, non sinè multis odoribus. Tunc protinùs inexpugnabili magicæ disciplinæ potestate, turbantur sidera, coguntur numina; sepulchris exsiliunt cadavera, et sentiunt, et audiunt, et ambulant. »

12. Apulée veut être témoin de ces mystères.

Hic ego : « Præsta, inquam, Fotis, quod summis votis expostulo; et dominam tuam, quum aliquid hujus divinæ disciplinæ molitur, ostende. Nàmque sum magiæ noscendæ ardentissimus cupitor. — Vellem, inquit illa, præstare tibi, ô Luci quod cupis; verùm etsi res est ardua, tuum postulatum præponam periculo meo; idque, observatis opportunis temporibus, sedulò perficiam. Tu modò, rei tantæ fidem silentiumque tribue. » Paucis diebus elapsis, satìs trepida Fotis ad me accurrit; indicatque dominam suam nocte proximâ in avem sese plumaturam : proin memet ad tantæ rei spectaculum præpararem. Jàmque nocte mediâ, ad illud superius cubiculum, suspenso et insono vestigio me perducit. Ipsa per rimam ostiorum quampiam jubet spectare : quæ sic gesta sunt.

13. Pamphile se métamorphose en hibou.

Jàm primùm Pamphile, arculâ quâdam reclusâ, pyxides plusculas indè depromit; unius operculum removet, atque indidem egestâ unguedine frontem et genas diù affricat. Membra tandem tremulo succussu quatit. Illicò formâ mutatur; defluunt vestes; promicant molles plumulæ, crescunt et fortes pinnulæ; duratur nasus incurvus; coguntur ungues adunci; fit

bubo Pamphile. Sic, edito stridore querulo, jàm suî periclitabunda, paulatìm terrâ resultat : mox in altum sublimata, forinsecùs totis alis evolat. At ego, nullo excantatus carmine, præsentis tantùm facti stupore defixus, quidvis aliud magis videbar esse quàm Lucius. Sic exterminatus animi atque attonitus, vigilans somniabam. Defrictis adeò diù pupillis an vigilarem scire quærebam. Tandem reversus ad sensum præsentium, arreptam Fotidis manum nummis oneravi; et « Oro te, inquam, impertire mihi unguedinem ex eâdem pyxide; me præstabo tanti beneficii memorem, neque erit quòd te liberalitatis nostræ pœniteat. »

14. Apulée se frotte d'un onguent magique.

Victa precibus et auro Fotis summâ cum trepidatione irrepit cubiculum, et pyxidem depromit arculâ. « At, inquam, cum semel bubonem perunctus induero, omnes domus procùl vitare debeo : nàm istas nocturnas aves, quum penetraverint larem quempiam, sollicitè prehensas foribus videmus affigi. Unum etiàm te rogo, quod sciscitari penè præterivi : quo pacto, rursùm exutâ ave, ad meum redibo Lucium? — Bono animo es; quod ad hujus rei curam pertinet, ait Fotis : nàm mihi domina singula monstravit quæ possunt rursùs in facies hominum tales figuras reformare : specta denique quantulo tanta res procuretur

flosculo; rosâ tantùm admorsâ ad priorem formam postliminio redibis. » Hîc ego lætus, ovans, avidè manibus in pyxidem immersis, plusculum unguentum hausi quo totam faciem perfricui.

15. Il est métamorphosé en âne.

Jàm alternis conatibus brachia librabam, evolare gestiens. Neque ullæ plumulæ, neque usquàm pinnulæ, sed planè pili mei crassantur in setas; cutis tenella duratur in corium; in extimis palmulis, perdito numero, toti digiti coguntur in singulas ungulas; et de spinæ meæ termino grandis cauda procedit. Jàm facies enormis, et os prolixum, et nares hiantes et labiæ pendulæ. Sic et aures immodicis horripilant auctibus. Cuncta corporis mei considerans, non avem me, sed asinum video.

Tunc Fotis: « Occisa sum misera, clamavit. Me trepidatio simul et festinatio fefellit, et pyxidum similitudo decepit. Sed primo diluculo remedium festinabitur tibi, et rosas afferam quæ te ex asino in hominem vertant. »

CAPUT QUARTUM.

16. Le nouvel âne est maltraité à l'écurie.

Sic illa mœrebat. Ego verò, quanquàm perfectus asinus et pro Lucio jumentum, sen-

sum tamen retinebam humanum. Diù ac multùm mecu m ipse deliberavi, an nequissimam facinorosissimamque anum spissis calcibus feriens, et mordicibus appetens, necare deberem. At demùm dejecto et quassanti capite, durissimo casui meo serviens, in stabulum concedo.

Ibi equum illum, vectorem meum optimum, cum asino Milonis, quondàm hospitis mei, stabulantem inveni. Atqui ego rebar, si quod inesset mutis animantibus naturale sacramentum, agnitione ac miseratione inductum equum illum meum, hospitium et lautia præbiturum. Sed, proh Jupiter Hospitalis, et fidei secreta numina! præclarus ille vector meus, simùlque asinus Milonis capita conferunt, et in meam perniciem illicò consentiunt. Verentes scilicet cibariis suis, ut me præsepi vidêre proximantem, dejectis auribus jàm furentes, infestis calcibus insequuntur; et abigor procùl ab hordeo quod apposueram vesperi meis manibus illi gratissimo famulo.

17. La maison est pillée par une bande de voleurs.

In solitudinem relegatus, angulo concesseram stabuli. At dùm de insolentiâ collegarum meorum cogito, sonitus vehemens exauditur. Largo strepitu percussæ effringuntur januæ. Nec mora, vi patefactis ædibus, globus latronum invadit omnia, et singula domûs mem-

bra cingit armata factio. Cuncti, gladiis et facibus instructi, noctem illuminant. Coruscat, in modum ortivi Solis, ignis et mucro.

Tunc horreum quoddam, validis claustris obseptum obseratumque, et gazis Milonis refertum securibus aggressi diffindunt. Quo passìm recluso, totas opes vehunt; raptìmque constrictis sarcinis, singuli partiuntur. Mox nos duos asinos et equum meum productos è stabulo, quantùm possunt gravioribus sarcinis onerant, et, domo jàm vacuâ, baculis exigunt. Per avia montium fugimus conciti.

18. L'âne est chargé de paquets et de coups.

Rerum tantarum pondere, et montis ardui vertice, et prolixo satìs itinere, nihil à mortuo differebam. Quum queri conarer, rudere tantùm potui. Aspernati latrones clamorem meum, cædentes hinc indè miserum corium, ne cribris quidem idoneum relinquunt. Dùm multas villulas et casas amplas prœterimus, hortulum quemdam prospexi satìs amœnum, in quo, præter cæteras gratas herbulas, rosæ virgines matutino rore fluebant.

His inhians, et spe salutis alacer ac lætus, propiùs accessi : statìm verò consilium me subiit longè salubrius. Nàm si, asino remoto, rursùm prodiissem in Lucium, me profectò latrones, futurum verentes indicium, neci dedissent. Itaque à rosis temperans, casum

præsentem toleravi. Diem fermè circà medium, in pago quodam apud notos ac familiares latronibus senes divertimus. Ibi nos omni sarcinâ exoneratos, in pratum proximum passìm libero pastui tradidêre.

19. Il dévaste un jardin.

Non me cum asino Milonis vel equo meo compascuus cibus attinere potuit, adhùc insolitum alioquì prandere fœnum. Sed planè ponè stabulum hortulum prospicio quem, jàm fame perditus, invado fidenter; oleribusque, quamvìs crudis, affatìm tamen ventrem sagino. Intereà juvenis quidam hortulanus, cujus omnia prorsùs olera vastaveram, tanto damno cognito, cum grandi baculo furens decurrit; arreptumque me totum plagis obtundit, adusque vitæ ipsius periculum, nisi tandem auxilium ipse mihi tulissem. Pedum enim posterioribus calcibus jactatis in eum crebriter, jàm mulctato graviter et jacente homine, fugâ me liberavi.

Sed illicò uxor ejus, simul eum prostratum ex edito despexit, ejulabili plangore mihi præsens creat exitium. Cuncti enim pagani, fletibus ejus exciti, statìm conclamant canes quos ad me laniandum passìm cohortantur; canes inquam multos, et ursis ac leonibus ad compugnandum idoneos.

20. Il n'a pas lieu de s'applaudir de cet exploit.

Hîc ego exterritus me quàm celerrimo gradu rursùs in stabulum quò diverteramus recipio. At pagani, canibus jàm ægrè cohibitis, arreptum me loro validissimo ad ansulam quamdam destinant; et cædendo confecissent profectò, nisi dolore plagarum alvus arctata, crudisque illis oleribus abundans, fimum fistulatìm excussisset. Sic quosdàm extremi liquoris aspergine, alios putore nidoris fœtidi à meis jàm quassis scapulis abegi.

Vix mihi salutem pepereram, cùm latrones rursùm nos, graviter onustos, producunt stabulo. Jàm confectâ bonâ parte itineris, viæ spatio defessus, et sarcinæ pondere depressus, ictibusque fustium fatigatus, atque etiàm ungulis extritis claudus et titubans, novum consilium meditabar quo tot ærumnis mederer.

CAPUT QUINTUM.

21. L'âne veut jouer de ruse, et court un grand danger.

Cogitabam scilicet totum memet, flexis scitè cruribus, pronum abjicere; certus atque obstinatus nullis verberibus ad egrediendum exsurgere; imò etiàm paratus, non fuste tantùm sed machærâ percussus, occumbere. Rebar enim latrones, partìm miseratione,

partìm studio festinatæ fugæ, dorsi mei sarcinam duobus cæteris jumentis distributuros, meque lupis et vulturiis prædam relicturos. Sed tàm bellum consilium meum prævertit sors deterrima. Nàmque ille Milonis asinus, quasi divinato et antecapto meo cogitatu, statìm ementitus lassitudinem, cum rebus totis offunditur; jacensque in mortuum, non fustibus, non stimulis, ac ne caudà quidem et auribus cruribusque undiqueversùm elevatis, tentavit exsurgere. Tandem latrones fatigati, secumque collocuti, nè, tamdiù lapideo asino servientes, fugam morarentur, sarcinas ejus mihi equoque meo distribuunt; et districto gladio poplites jacentis totos amputant; ac paululùm à vià retractum, ex altissimo in vallem proximam, etiamnùm spirantem præcipitant.

22. Caverne des voleurs.

Tunc ego, miseri commilitonis mei fortunam cogitans, statui, jàm dolis abjectis et fraudibus, asinum me bonæ frugi dominis exhibere: nàm et secum eos animadverteram colloquentes, et audieram nobis in proximo habendam esse mansionem, totiusque viæ finem ibi futurum. Clementi denique transmisso clivulo, pervenimus ad sedem habitationemque latronum; ubi, rebus totis dissolutis atque intùs conditis, ego jàm pondere

liberatus, lassitudinem, vice lavacri, pulveris volutatibus digerebam. In monte horrido et imprimìs alto spelunca occultabatur. Convalles spinetis aggeratæ et quaquaversùs positæ, naturalem tutelam præbentes, montem ambiebant. De summo vertice fons affluens bullis ingentibus scaturiebat, perque prona delapsus evomebat undas argenteas. Antè fores speluncæ, exigui tramites. In proximo nihil, nisi parva casula cannulis temerè contecta, quò speculatores è numero latronum noctibus excubabant.

23. Leur bruyant souper.

Quum singuli in speluncam direpsissent, nosque intùs duxissent secum, anum quamdam, curvatam senio, sic infesti compellabant: « Etiàmne tu, orci fastidium, sic nobis otiosa domi residens lusitabis! Nec nostris tantis laboribus solatium justâ refectione tribues! » Tremens ad hæc, et stridenti voculâ, pavida sic anus: « At vobis, fortissimi juvenes, affatìm cuncta, suavi sapore percocta, pulmenta præstò sunt; panis non deest; vinum calicibus probè effrictis affluenter immisi. » Illi mensas dapibus largiter instructas accumbunt. Estur ac potatur; pulmenta acervatim, panes aggeratìm, pocula agminatìm ingeruntur. Clamore ludunt, strepitu cantillant, conviciis jocantur. Dehinc canticis quibusdam Marti deo blan-

diti paululùm conquiescunt. Nobis anus illa hordeum sine ullà mensurâ largita erat, sed equus meus tantâ copiâ solus potitus est. Ego verò rimatus angulum, quò panis reliquiæ totius multitudinis congestæ fuerant, fauces, diutinâ fame saucias et araneantes, vehementer exerceo.

24. Les brigands amènent une captive d'une rare beauté.

Ecce nocte promotâ latrones expergefacti castra commovent; instructique varié et gladiis armati, concito se gradu proripiunt. Nec me tamen instanter ac fortiter manducantem vel somnus imminens impedire potuit. Priùs quum essem Lucius, unico vel secundo pane contentus mensâ decedebam : nunc autem ventri tàm profundò serviens, jàm fermè tertium qualum in me ingurgitaveram. Huic me operi attentum clara lux oppressit. Tandem asinali verecundià ductus, ægerrimè tamen digredior. Nec mora, quum latrones remeant, nullam quidem prorsùs sarcinam ferentes, sed unicam virginem eximiæ pulchritudinis advehentes.

Hanc flentem et mœrentem insolabiliter, crinemque et vestes lacerantem, unus è latronibus sic alloquitur : « Tu quidem hìc eris salutis et pudicitiæ secura; at non priùs hanc speluncam linques, quàm parentes tui, de tanto divitiarum suarum cumulo, idoneam

paraverint sanguinis sui redemptionem. Hæc anus, quæ nobis famulatur, te blando allcquio, et sedulâ curâ solabitur. »

25. Désespoir de la jeune captive.

Puella tamen nullis potuit aniculæ sermonibus ab incepto fletu avocari. Sed altiùs ejulans, et assiduis singultibus ilia quatiens, mihi etiàm lacrymas excussit. « An ego, inquit, misera in isto saxeo carcere claudar serviliter? An ego, tali domo, tantâ familiâ, tàm sanctis parentibus privata, et infelicis rapinæ præda, inter tot latrones, vel fletum desinere vel omninò vivere potero? Laqueus me, aut gladius aut certè præcipitium his malis eximet. Speciosus et prædives adolescens uxorem me hodiè ducere debuit. Domus tota lauris obsita, tædis lucida, constrepebat Hymenæum. Me mater infelix mundo nuptiali decenter ornabat, mellitaque savia crebriter ingerebat. Quum latronum globus, subitâ irruptione sæviens, cubiculum nostrum invadit; neque ullo de familiaribus nostris repugnante, me miseram, exanimem de medio matris gremio rapiunt. » Fletibus ejus adsuspirans anus sic incipit : « Bono animo esto mehercules, nec tam sævâ recordatione auge dolorem tuum. » Tunc lepidis narrationibus anilibusque fabulis conata est puellæ animum evocare.

CAPUT SEXTUM.

26. Évasion ; nouvelle captivité.

Intereà fugæ capessendæ et liberandæ virginis studium mihi suadebat virile facinus aggredi. « Luci, aiebam, sume masculum tandem animum, tuæque saluti, dùm licet, consule. Habes summam opportunitatem fugæ, dùm latrones absunt. An custodiam anûs semimortuæ formidabis ? » Statìm alacri nisu tenue lorum, quo fueram destinatus, abrumpo ; et illicò anum, fabulas etiamnùm narrantem, petens, posteriorum pedum calcibus applaudo terræ. Deindè ad captivam virginem blandus accedo, flexisque genibus dorsum præbeo. Illa quamvìs attonita me gnaviter inscendit et ad cursum incitat. At ego, et ejus periculo et meo commotus, equestri celeritate ferebar. Ad quoddam pervenimus trivium ubi nos, jàm spe salutis lætos ovantesque, deprehendunt ipsi latrones.

27. Les brigands veulent faire périr leur captive.

Ad lunæ splendorem jàm indè longiùs me et puellam cognoverant. Hìc latronum dux, virginem risu maligno salutans, exclamat : « An tu, optima puella, parentes tuos intervisere properas ? Nec noctis intempestæ Manes

Larvasque formidâsti? Sed nos et solitudini tuæ præsidium præbebimus, et compendiosum ad tuos iter monstrabimus. » Et verbum manu secutus, prenso loro retrorsùm me circumtorquet; nec baculi nodosi quem gerebat sævis ictibus temperat. Brevì ad speluncam reversi, anum videmus de quodam ramo proceræ cupressûs pendentem. Iram enim latronum ob effugium virginis verita, laqueum induerat. Quam detractam protinùs, cum suo funiculo devinctam, dedêre præcipitem. Tunc, puellâ vinculis oneratâ, cœnam, quam præparaverat infelix anus, ferinis invadunt animis. Ac dùm avidâ voracitate cuncta contruncant, jàm incipiunt de nostrâ pœnâ suâque vindictâ inter se colloqui. Utpotè in cœtu tàm turbulento, variæ fuêre sententiæ: hic enim vivam cremari censebat virginem; ille bestiis objici suadebat; tertius patibulo jubebat suffigi; alius tormentis excarnificari præcipiebat.

28. La mort de l'âne est résolue.

Tunc unus, sedato omnium tumultu, placido sermone sic orsus est: « Nec feras, nec cruces, nec ignes, nec tormenta debemus arcessere. Vitam puellæ, sed quam meretur, largimini. Istum videtis asinum, semper pigrum quidem, sed manduconem summùm et virginalis fugæ ministrum. Hunc jugulare crastino placeat, totisque vacuefacere præcordiis,

et demùm alvo mediæ virginem vivam insuere. Sola facies puellæ prominebit, cæterum corpus nexu ferino coercebitur. Tunc super aliquod saxum exponetur insutitius et fartilis asinus, Solisque æstivi vaporibus tradetur. Sic mortem asinus meritissimam inveniet; puella autem vivens mortuæ bestiæ ventrem habitabit; fœtore nimio cruciabitur; inediâ diutinâ tabescet; morsus ferarum patietur, vermibus laniata; ignis flagrantiam éxperietur, quum sol caloribus inflammaverit corruptum asini uterum; denique patibuli cruciatum perferet, quum canes et vultures intima protrahent viscera.» Talibus dictis latrones accensi, totis animis in socii vadunt sententiam. Ego verò meum crastinum tacitè deflebam cadaver.

29. Destruction de la bande de voleurs.

Primo diluculo, unus latronum, qui ad speculandum excubabat, accurrit pallidus, et tremulà voce «Socii, exclamat, periimus! Ingenti armatorum numero mons noster totus circumcingitur, neque jàm ullum nobis patet effugium.» His auditis, pavidi omnes surgere, discurrere, arma capere, sed prorsùs inopes consilii. Jàm ad ipsas speluncæ fores militum globus accesserat. Latronum fortissimus quisque ruit in vulnera, et cadit pugnâ impari; cæteri omnes, metu magis quàm armis victi,

colligantur; provolutique in proximas valles præcipitantur, aut gladiis obtruncantur.

Dux militum, immanis quidam juvenis, cunctos toto vertice antepollebat. Is primus speluncam erat ingressus, et latronum ferocissimos ipse interfecerat. Quo viso, puella magnâ voce exclamavit : « Mi sponse, eripis me tandem his vinculis; quis te Deus hùc perducere potuit? — Bono animo es, inquit ille, ô dulcissima. Ubi matri optimæ et mihi te facinorosissimi latrones eripuerunt, omnes vias protinùs speculatoribus, magnâ mercede conductis, obsepsi. Horum unus ad hunc montem quùm fortè vertisset gradum, inter spineta latitans, latrones vidit per angustum tramitem ad speluncam suam irrepentes. Reliqua suasit amor in te meus. »

30. L'âne est traité avec distinction.

Dùm sponsus et sponsa sic colloquebantur, milites totis rebus prolatis erutisque, equos suos auro et argento oneraverunt. Me unum inscendere puella voluit, me sospitatorem suum nuncupans. Imposita igitur dorso meo, inter plurimos equites, dirigit gressum ad suam patriam.

Tota civitas ad votivum conspectum effunditur. Procurrunt parentes, affines, clientes, famuli. Pompam cerneres omnis sexûs et omnis ætatis, novumque et Herculès memoran-

dum spectaculum, virginem asino triumphantem. Denique ipse etiàm hilarior, ut omnium gaudio accinerem, porrectis auribus, proflatisque naribus, cœpi rudere fortiter, imò tonanti clamore personui. Exin mea me domina sedulò curavit; et ipso nuptiarum die præsepe meum hordeo repleri jussit, fœnumque camelo sufficiens apponi.

(*La suite à la page* 72.)

PROVERBES.

1. Eodem collyrio mederis omnibus.

Leges, admonitiones et objurgationes non oportet omnibus easdem admovere; sed pro gentium, temporum et ingeniorum varietate sermonem attemperare.

2. Aquam à pumice postulas.

Rem petis ab alio, cujus ipse maximè sit indigus. Nihil enim pumice lapide siccius, nihil siticulosius. Perindè ac si quis ab indoctissimo doceri postulet, ab inconsultissimo consilium exspectet, ab egeno munus, ab inope præsidium, denique ab avaro pecuniam.

Matières de vers proposées.

1°. Une pièce de cinquante vers au plus, pour le 1er août, sur la navigation au moyen des machines à vapeur. (Voy. p. 109, 112, 153.)

2°. Un distique pour le fronton de l'Hôtel-Dieu de Paris. (Voyez page 57.)

HERMES ROMANUS,

OU

MERCURE LATIN.


N° 2. — 1er Juillet 1816. — Tome I.

L'HERMES est publié le premier de chaque mois, à commencer du premier juin 1816, par cahiers de 48 pages in-12. Le prix de l'abonnement est de QUINZE FRANCS par an, port franc par la poste. On ne peut souscrire que pour l'année entière, à Paris, rue du Cloître Notre-Dame, n° 4.

ALVEAR POETICUM.

VETERUM CARMINA.

5. Stace florissait du temps de Domitien, dans le premier siècle de l'ère chrétienne; ce poëte obtint à Rome un succès prodigieux. La cour et la ville l'écoutaient avec ravissement : mais tant d'encens ne lui tourna point la tête; il se reconnut toujours à une distance infinie de Virgile. — Le morceau suivant, tiré du deuxième livre de l'*Achilléide*, représente Thétis occupée à faire la toilette d'Achille, lorsqu'elle est enfin parvenue à vaincre sa répugnance à porter des habits de fille,



Mulcetur, victusque rubet, visusque superbos
Obliquat, vestesque manu leviore repellit.
Aspicit ambiguum Thetis, innectitque neganti
Virgineas vestes. Tunc colla rigentia mollit,
Submittitque graves humeros, et fortia laxat
Brachia, et impexos certo domat ordine crines,

Ac sua dilectâ cervice monilia transfert,
Et picturato cohibet vestigia limbo.
Incessum, motumque docet, fandique pudorem,
Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, ignemque manumque sequuntur,
Talis erat divæ natum mutantis imago.
Nec luctata diù : superest nam multus Achilli
Invictâ virtute decor; fallitque tuentes
Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus.
Procedunt, iterùmque monet rursùmque fatigat
Blanda Thetis : « Sic ergò gradus, sic ora, manusque
Nate, feres, sociasque modis imitabere fictis;
Ne te suspectum molli non misceat aulæ
Rector, et incepti pereant mendacia furti. »
Dixit, et admoto non cessat comere tactu.
Sic ubi virgineis Hecate lassata pharetris
Ad patrem fratremve redit, comes hæret eunti
Mater, et ipsa humeros exertaque brachia velat;
Ipsa arcum pharetramque locat, vestesque decenter
Componit, sparsosque studet componere crines.

---

4. **Martial à un homme de mérite qu'il engage à publier enfin ses productions.**

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus.
Antè fores stantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque vivere chartæ
Incipiant; cineri gloria sera venit.

---

5. **Martial à un plagiaire.**

Quem recitas meus est, o Fidentine, libellus :
Sed malè quùm recitas, incipit esse tuus.

RECENTIORUM CARMINA.

5. Santeul, encore au collège chez les Jésuites, composa un petit poëme de cent soixante vers sur la *Bouteille de Savon*. Le père Cossart, son régent, y vit le germe d'un talent qui devait éclipser toutes les réputations latines du dix-septième siècle, si fécond en grands poëtes. Nous retranchons de cette pièce tout le merveilleux que l'imagination de l'auteur a mêlé au sujet.

Aspicis ut parco calamus bibit ore liquorem;
Ut liquor informis primùm, componitur intùs,
Expectatque animam, et genitales postulat auras.
Hanc, puer, hanc infunde animam; si bulla madenti
Trudatur tubulo (nàm flatu ductilis humor),
Nascentem foveas; à pectore prome modestos
Pro tutelâ operis flatus, et parciùs urge:
Nàm tenuis ventus se bullæ infundit in orbem
Paulatìm; hìnc clauso distenditur aere bulla;
Hìnc capit innumeros magis ac magis aucta colores,
Quos motu amittit reparatque volubilis uno.
Nàm nova fit semper, quotiesque agitata movetur,
Mutatur toties. Mox ignea tota rubescit,
Et monstrat sub aquis blandos sine viribus ignes;
Frigida mox, castûs veluti præsaga futuri,
Pallescit, ferrugineos imitata colores.
Quod si fortè gravis nimiam tubus hauserit undam;
Altera post aliam succedet, et altera bulla,
Et veniet semper quæ non sperabitur illa.
Si pereat malè nata, suo nimis obruta succo,
Perge inflare tubum, reliquosque animare liquores;
Succus pinguis inest, variisque coloribus aptus;
Alterius fato melior tibi bulla resurget.
Et fragilis quanquàm illa, cavoque simillima vitro,
Mentitur durum, jamjàm peritura, metallum.

Discite, bullarum artifices, festiva juventus,
Quot casus bullæ immineant : nàm perfidus humor
Mille modis fallit pueros, qui fortè receptus
Interiore tubo quamprimùm elabitur, et spem
Deludit pueri frustrà incumbentis avenæ,
Sæpè etiàm in guttâ manet improbus, ac magis instat,
Et magis ingeminat flatus puer; invocat artem;
Objurgat sese, calamumque explorat, et aptat
Necquicquàm : flatu nunquàm fit ductilis unda;
Seu conceptam animam rimosa relaxet avena,
Sive angusta nimìs, nodove obstructa recuset;
Seu denset sese, seu rarior unda liquescat.
Sed si te moveat formandæ gloria bullæ,
Labra puer digito et graviorem comprime flatum :
Nàm subitò in veterem guttæ revoluta figuram
Dissiliet, flebitque suam perfracta ruinam.
Sæpè etenim vidi extinctas per flamina bullas;
Intùs ventus inest, vitreum qui concutit orbem :
Illa autem venti impatiens gravioris, in ipso
Emoritur calamo, et pluvium se solvit in imbrem.
Dùm fit opus, risus quoque comprime : sæpè cadendo
Ridentis pueri nitidos turbavit ocellos.
Illam æstus gravior necat, illam frigus iniquum,
Sæpiùs invidiæ puerorum atque æmulus ardor.
Si petis innumeri succedant undè colores?
Illos unda creat visco medicata fluenti,
Hos, quæ fracta cavo Solis lux emicat orbe.
Posse pati flatum, ut magis ac magis illa tumescat,
Te doceat bullâ pendente superfluus humor.
Jàm non crescit opus, si totam extenderis undam.
Incipe tunc cohibere animam; se credere cœlo
Audebit; calamumque, patremque injussa relinquet.
Nàm quùm bulla suum crescendo expleverit orbem,
Quærit abire fugâ titubans, calamique per omnes
Itque, reditque oras, sicco malè pendula culmo.
Libera jàm sese libravit bulla per auras :

Hanc læti juvenes flatu parcente salutant.
Dùm volat, objectâ ditescit imagine rerum;
Nempè urbes rapit, et populos, camposque patentes,
Et nemora et vitreos altis cum montibus amnes :
Sed tantis onerata opibus, levitate superbit.
Ut tamen excipiat plausus, oculosque sequaces
Alliciat, remoratur iter, tardoque volatu
Incedens, patrium sensìm petit hospita cœlum.
Non sibi, non oculis credit pater; ardet, et anceps
Pendet ab eventu; longè comitatur euntem,
Omnibus et votis locat inter sidera bullam.

---

6. Le succès inespéré de notre HERMES ne peut être attribué à nos faibles talens; il est dû sans doute à cette impression ineffaçable que laisse dans le cœur de l'homme le souvenir de ses jeunes années. On croit revoir son collège, et une si douce illusion fait naître ce ravissement qu'a si bien exprimé M. Billecocq dans sa pièce en l'honneur de l'ancien collège du Plessis où il a fait ses études. Les vers suivans et plusieurs poëmes pleins de verve prouvent que leur auteur n'occupe pas sur le parnasse latin une place moins honorable qu'au barreau français.

Ah! quotiès, ex quo tempestas horrida Gallis
Ingruit, et, vasto cunctas res turbine miscens,
Tot vetera involvit dirâ monumenta ruinâ,
Solus Gymnasii desertam ingressus in aulam,
Insedi scamno mœrens, et mœnia tristi
Et desolatas contemplans lumine sedes,
Fœdata et passim turpi nunc gramine saxa,
Saxa choris olìm toties protrita jocosis,
Flevi! Quumque meæ hæc rapidissima tempora vitæ
Prima recordarer, festivaque bella, jocique
Mente recursarent, et non sine laude labores,
Flevi iterùm, mansique obtutu fixus in uno!
Septem ibi felices puero mihi nempè per annos
Otia, tuta quies, et vita ignara pericli,
Primæ et amicitiæ, tranquilli deniquè soles.

Istos cùm veteres, at nunc sine honore, Penates
Perlustrarem oculis, quoniàm meminisse juvabat,
Nulla quidem est hominum vox exaudita; sed ipsis
Mœnibus est sua vox, sunt mœnia et ipsa locuta.
Prima rudimenta hic monstrabant namque Magistri,
Virtutumque exempla dabant; securus et illic
Dulces carpebam somnos, juvenique viroque
Inclemens toties mihi quos fortuna negavit.
Acriter hosce pilam ad muros pulsare *sinistrâ*
Præstabam, et facti quædam mihi fama remansit.
Relligione sacer fuit hic locus: illa sacellum
Area quippè fuit, pius in quo sæpè minister
Christi nos leges divinaque jura docebat.
Porta hæc, quæ propior, quondàm ducebat ad ædes
Barbicolûm (1) gentem nostras. Venit hora scholarum;
Janua lata patet; plenâ ocyùs affluit aulâ
AEmula, amans studii, sociisque immixta juventus;
Læta scholas intrat, paribus concurrit et armis.
Hæc, animo veluti præsentia, cuncta videre
Gaudebam: brevis, at menti gratissimus, error!
O Plessæa Domus! sitienti lingua palato
Hæreat, antè tibi dignas quàm solvere grates
Desierim; antè tui quàm disperdantur honores!
O Plessæa Domus! musâ celebranda perenni,
Errabit nostro dùm quis super halitus ore,
Vives, et memori servabere pectore, mater.
Hæc ego, tranquillâ, post bella forensia, pace
Dùm fruerer, felix media inter rura, canebam,
Auspice amicitiâ. Impatiens sed jàm mea pulsat
Ostia consultor dudùm, stimulatque morantem.
Ergò, Barbicolæ socii, Musæque valete.

(1) La célèbre Communauté de Sainte-Barbe ne formait pas un des dix colléges de plein exercice de l'ancienne Université de Paris. Les Barbistes allaient, deux fois par jour, recevoir les leçons de toutes les classes au collége du Plessis. Ils avaient une entrée particulière.

y. On se rappelle une aventure racontée dans tous les journaux, et dont le théâtre a été la cour où est logé l'ours Martin, au Jardin du Roi. Un soldat de garde à la ménagerie ayant cru voir dans cette cour une pièce de monnaie (ce n'était qu'un bouton), y descendit la nuit, et périt victime de son avarice. Ce sujet est traité avec beaucoup de talent dans la pièce suivante, dont l'auteur ne veut être connu que par les initiales de son nom.

Sequanicum propter flumen, quà regius altis
Consitus arboribus latè protenditur hortus;
Quà raras claudit compages ferrea plantas,
Et Floræ algenti Vulcania tecta parantur:
Area vasta patet, cœlo subjecta salubri,
Abrupta in præceps, triplici circumdata muro,
Ursorum spatiosa domus. Quem divitis horti
Deliciæ molles, quem vultu Flora nitenti
Allicit, hunc vidisse juvat nigra ora ferarum
Desuper, et tardis gradientes passibus ursos,
Arboris acclines trunco, tergove sedentes
Obversâ ad solem facie, vel fragmina panis
Versantes manibus, turbâ mirante, recurvis.
Scilicet hos credas, sylvis posuisse relictis
Immites animos. Nè quis turbare quietos
Audeat imprudens, rabidas vel suscitet iras.
In statione manet miles; qui tædia fallit
Horarum, ipse sequens oculo villosa ferarum
Corpora, sanguineasque exerto in gutture fauces.
At summas pronum corpus dùm inclinat in oras
Aggeris, en oculus nummi fulgore jacentis
Percutitur. Non sic invento palluit auro
Rusticus, aut puero pectus sic æstuat ardens,
In triviis fixum qui se demittit ob assem.
Non audet tamen ardori, statione relictâ,
Indulgere suo miles. Sed gaudia differt
Impatiens; geminatque gradus. Obscura favebit
Nox mihi, ait: rapiam nummum; visoque potiri

Continget. Noctem ergò amens trepidusque morantem
Increpitat. Miserum non frigora sæva retardant,
Non innata feris rabies, vitæque periclum.
Et jàm conticuit somno resoluta per umbras
Alituum captiva cohors. Pardi atque leones,
Atque lupi, atque omnis vicinia rauca cubili
Strata jacet. Vadit scalis instructus; euntem
Luna videt, tristes et condit pallida vultus.
Vix spatium evadit, cùm frons argentea nummi
Affulget tremulo sub sidere noctis in umbrâ.
Area scalarum fit munere pervia. Cæcis
E latebris ursus, non unquàm hoc tempore visam
In faciem torvos oculos intendit, hianti
Ore ferox; stabuloque levis prorumpit, et imis
Hærentem gradibus celeri pede fertur in hostem.
Excutitur vivo cum pondere scansile lignum.
In caput, in ventrem rabido fera bellua dente
Sævit, et in miseris hærens complexibus angit
Exanimum, rursùsque trahit, prædâque potitur.
Quo pretio miles potuisti perdere vitam?

C. B.

---

8. Inscription pour un télégraphe.

Hîc altâ è speculâ tabulas ars docta loquentes
Suspendit, famamque dedit prævertere signis.

C. B.

---

9. Inscription pour une morgue.

Ignotus jaceo; si mors sinit aspera, tristes
Agnosce exuvias, et tege corpus humo.

C. B.

---

10. Contre la manie des conquêtes. Début d'une pièce qui a remporté le prix de vers en rhétorique, au concours général des collèges de l'ancienne Université de Paris.

Quid tibi tot populos, o Roma, dedisse catenis
Profuit, et toto retulisse ex orbe triumphos?
Nempè jugo tibi ludus erat submittere gentes
Invictas, reges et debellare superbos.
O utinàm tantùm vicisses! At fera pectus
Sævities, et amor subiit sceleratus habendi.
Victorum (proh! nonne satis miserabile vinci!)
Divitias impunè manus rapiebat avara;
Cùmque modum nolles prædanti imponere dextræ,
Nil miseris præter lacrymas, justumque dolorem,
Et gemitus, odiumque tuî immortale relictum.
At tibi mox ultor lacerati acerrimus orbis
Incubuit meritæ luxus, nimiùmque potentis
Indomitas vires; animosque et corpora fregit.
Hinc multos fœdo jacuisti oppressa per annos
Servitio, quantoque priùs te turgida fastu
Extuleras, aliis insultans, sordida tanto
Dedecore immanes repsisti passa tyrannos.
Illius ah! quantò præstet sapientia gentis,
Si qua sit in terris tibi non virtute secunda,
Justitiâque prior, ditionem extendere bello
Quæ neget, ac nunquàm, non oppugnata, cápessat
Ad patriæ fines quæ destinat arma tuendos.

BARBIER-VÉMARS.

---

11. *Distique proposé au numéro de juin.*

Inscription pour le fronton de l'Hôtel-Dieu.

Sacra Deo domus est : ut spes affulgeat ægris;
Ultimus aut videat præmia certa labor.

---

12. Un oiseau avait fait son nid dans un tuyau de poêle qui sortait d'une des fenêtres du collège royal de Bourbon, à Paris. M. Chambry, proviseur, donna ce sujet à traiter. Voici la composition de M. Masoier, qui s'est montré digne d'un nom que son père a rendu cher aux Muses.

Est propè dilectas Phœbus quas incolit ædes
Ferrea compago, muris affixa, canalem
Producta in longum, superas quâ jussus ad auras
Fumus abit, quum flamma focis lucentibus ardet.
Hosce tenebrosos avis ingeniosa penates
Delegit, fœtus jamjàm paritura tenellos.
Illam non atra hospitii fuligo, nec ingens
Ludentûm juxtà strepitus deterruit, ædes
Quominùs ædificans parvas, per inane volantem
Colligeret paleam, et proli benè cauta futuræ,
Molles dædaleâ cunas effingeret arte.
Et jàm confecto peperit fœcunda cubili
Clausam ovis sobolem, nidoque affixa recumbit.
Ah! tu maternos flammis violare penates
Parce, puer. Parce immeritam depellere matrem,
Injectâque manu miseros contingere fœtus.
Cernis ut exigui tot pascere pignora ventris
Gestiat illa parens, ut de statione recedat
Anxia, dùm studio non inferiore maritus
Suscipit officium, tumidisque vicarius alis
Hortatur fragili prodire è carcere pullos.
Quum glacialis hyems homines per tecta jubebit
Ardentes aluisse focos, tunc ibit in ignes
Nidulus; et tanto domus ædificata labore,
Vulcano propiore nimis combusta, peribit.
At pulli intereà, quos optima foverit æstas,
Victum à te repetent, alimentaque parvula, mensæ
Relliquias; lætique accepto pane, rependent
Alarum strepitu dignas pro munere grates.

TRADUCTION RIGOUREUSE.

18. Le char d'Amphitrite. Ce morceau termine le quatrième Livre de Télémaque; il est tiré d'une traduction complète du poëme de Fénélon, due à M. Viel, chef du collège de Juilly. La mort nous a enlevé depuis peu cet homme estimable par ses talens et par ses vertus.

Intereà visi, summâ super æquoris undâ,
Aurea cæruleo squammati terga colore
Ludere delphines, spumasque attollere fluctu.
Proxima deindè subit Tritonum turba, tubæque
Dat sonitum, curvâ dùm personat æquora conchâ.
Circùm Amphitrites currum glomerantur; at ille
Vectus equis candore nives qui vincere possint.
Hi sulcum ingentem sibi per vada salsa premebant
A tergo; ardentes oculi, spumantiaque ora.
Currus concha fuit, quam mira industria finxit,
Ipsa et candidior nive; curvatura rotarum
Aurea. Sic placido Dea gurgite visa volare.
Humida textilibus redimitæ tempora sertis
Naiades adnabant, humero ex utroque fluentem
Et sine lege comam dantes diffundere ventis.
Fluctibus imperitans, dextrâ gerit aurea sceptra
Diva sedens, lævâque tenet te, parve Palæmon;
Te genibus mater pendentem ex ubere gestat.
Eminet innubi majestas candida fronte,
Ventos quæ cohibet tempestatesque sonoras.
Ante volant Tritones, equos et fræna regentes
Aurea. Purpureos currûs in vertice pandunt
Vela sinus, Zephyri quæ leniter agmine facto
Certatìm pennis inflare jocantibus ardent.
Anceps, multa movens, fervebat in ætheris axe
AEolus : horrida frons olli; vox aspera; pendens
Promissumque supercilium, nigroque minaces
Igne oculi nimbos, domitis Aquilonibus, arcent.

Grandia tùm cete, vasti tùm cætera ponti
Monstra, salis refluos revomentia naribus amnes,
Visendi studio vitreis è sedibus ibant.

---

4. ÉNIGME.

Ardua pyramidum jactet miracula Memphis:
Me juvat esse brevem, parvulus invideor.
Sæpiùs angusti detrudor dives in umbras
Carceris; ast inopem vincula nulla tenent.
Non fiunt sine me, fiunt sine Apolline versus;
Te doceo quot agri jugera possideas.

B. V.

---

5. LOGOGRIPHE.

Quum placeo dominis, placeo horrida et aspera et hirta.
Sive retrò nostrum, solito seu more legatur
Nomen, idem semper pedibus cum quinque sonabit:
Ut sit pes unus, geminos abscinde priores.

B. V.

---

6. CHARADE.

Summa salit; pars prima salit; solet ima jacere.
Sum nigra: rubra prior; candida posterior.

B. V.

Le mot de l'énigme (voyez le premier numéro) est Lux; celui du logogriphe est Manus, où l'on trouve *anus*, *mus*, *musa*, *Numa*, *mas*, et *an* ou *nùm*. Le mot de la charade est Vir-ago.

MISCELLANEA.

1. Pline le jeune, dans son Panégyrique de Trajan, montre comment on doit louer un bon prince.

Omnibus civibus enitendum reor nè quid de principe nostro ità dicant, ut idem illud de alio dici potuisse videatur. Quarè abeant ac recedant voces illæ quas metus exprimebat : nihil quale anteà dicamus, nihil enim quale anteà patimur. Discernatur orationibus nostris diversitas temporum. Non enim de tyranno sed de parente loquimur; qui non minùs hominem se, quàm hominibus præesse meminit. Intelligamus ergò bona nostra, dignosque nos illius usu probemus. Sciamus nullum esse neque sincerius neque acceptius genus gratiarum, quàm quòd illas acclamationes æmulemur, quæ fingendi non habent tempus. Merenti gratias agere facile est : non enim periculum est nè, cùm loquar de humanitate, exprobrari sibi superbiam credat; cùm de frugalitate, luxuriam; cùm de clementiâ, crudelitatem; cum de liberalitate, avaritiam; cum de benignitate, livorem : cùm de continentiâ, libidinem; cùm de labore, inertiam; cùm de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor nè gratus ingratusve videar, prout satis aut parùm dixero : animad-

verto enim etiàm Deos ipsos non tàm accuratis adorantium precibus, quàm innocentiâ et sanctitate lætari; gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque mentem quàm qui meditatum carmen intulerit.

RECENTIORUM OPERA.

3. Le docteur Lowth, évêque de Londres, mort en 1788, a publié en 1753, à Cambridge, une dissertation sur la poésie des Hébreux. La langue française a été enrichie depuis peu de deux traductions de cet excellent ouvrage : mais comment reproduire dans une version la majesté et les grâces du texte? Quelle noblesse dans ce morceau sur la prééminence de la poésie sacrée!

Hoc præcipuè inter cæteras disciplinas eminet poetica, quòd excelsum quiddam ac penè divinum sapiat; quòd animum non modò defessum recreet, turbatum leniat, oppressum erigat : sed ad pulchra, decora, ardua evehat atque accendat; nec tantùm optima vitæ præcepta ità tradat ut reddat etiàm jucundissima, sed ipsum etiam Honestum menti quodammodò inserat atque infundat.

Præstereà cùm ea laudis ac gloriæ cupiditas animis nostris innata sit, quæ nos ad præclara et excelsa acerrimè stimulet; id sedulò agit poesis, ut hoc naturæ consilium planè exsequatur, ut hos virtutum igniculos foveat nutriatque.

Verùm de poeticâ adhùc leviùs omninò et humiliùs, quàm ejus dignitas postulat, existimabimus, nisi eò demùm convertamus animos, undè ejus magnitudo maximè elucet; nisi eam in sacris versantem et Religioni ministrantem contemplemur. Hoc primum ei negotium datum est; hoc ità feliciter exsequitur, ut in cæteris rebus impositam quamdam personam gerere videatur, hîc solummodò suam: alibi enim ad artis subsidia semper confugere, hîc propriâ vi niti, aut potiùs spiritu verè divino sustentari.

Quid enim habet universa poesis, quid concipere potest mens humana grandius, excelsius, ardentius; quid etiàm venustius et elegantius quàm quæ in sacris Hebræorum vatum scriptis occurrunt, qui magnitudinem rerum ineffabilem verborum pondere et carminis majestate exæquant?

Quòd si ipsius poeseos ultima origo quæratur, ad Religionem omninò videtur referenda. Nam quùm sit facultas à naturâ profecta, præceptis et legibus non nisi serò conformata, non ætatis alicujus aut gentis propria sed universi humani generis; vehementioribus humanæ mentis affectibus necessariò tribuenda est. Quorum ea est natura ut sese efferant vocibus elatis, ardentibus, maximèque à vulgari sermonis usu abhorrentibus; sententias acres, incitatas, vibrantes, crebris veluti ictibus con-

torqueant; et orationem pro motu et habitu animi variè intercidant, et quodammodò modulentur.

Hoc in admiratione et gaudio vel maximè locum habet; et quid erat quod hominis jàm tùm creati mentem, opinionum vanitate nondùm depravatam, adeò vehementer potuit percellere ac Dei Optimi Maximi excellentia? quid verisimilius quàm primum inconditi carminis conatum in Creatoris laudes ipso exardescentis animi impetu erupisse?

---

4. Un savant distingué, M. Sébastien Le Normand, occupé d'un grand travail sur les arts industriels, attendait avec impatience, au fond du Languedoc, une réponse à plusieurs lettres par lesquelles il pressait la publication de divers ouvrages; voici celle que lui adressa enfin le plus inexact, ou plutôt le plus paresseux des correspondans.

Quid in confitentem reum inveheris? Indulge, quæso, virorum impigerrime, hominum pigerrimo. Etsi non rescribo, quod imbecillitati meæ condones velim, amo te tamen et vehementer diligo.

Quot querelis lacessitus, quot precibus petitus, imò quot conviciis proscissus, hoc scribendi odium vincere nequivi! Quidquid non epistola est è venâ nostrâ facilè exit, fluit, ruit; sin autem epistolæ vel nomen audiero, idem patior quod primùm navigantes.

Litteras tamen, quas odi scribere, summâ non sine voluptate perlego, præsertìm tuas, tàm jocoso sale conditas, tàm simplici cultu lascivientes. O utinàm adesses præsens! Tunc sanè garrirem, et auribus tuis ità abuterer, ut os nostrum quod tentas recludere, meritissimâ fæce occluderes.

Nunc etiàm quòd serus rescribo, si officii et amicitiæ esse duxeris, nondùm probè tenes hanc indolem; officium enim illud, quamvis melleum et nectareum, in biduum triduumve distulissem; quo tempore elapso, alterius tridui morâ ad trimestrem desidiam leniter descendissem; et vix responsum accepisses cum zephyris et hirundine primâ. Verùm litteras tuas novissimas, per quas mihi acre bellum indicis, tabellarius summo manè ad nos pertulit, quâ horâ romanis scriptoribus immoramur potissimùm. Tunc me Hesperio œstro furentem invasit lubido latinum facinus aggrediendi, et in te, devotum caput, hoc virus evomere constitui, injuriam apud te tædio fœneraturus. Quam veneni luem ubi probè absterseris, audi hæc pauca.

Libentissimè opera tua, ad majorem artium gloriam, typis mandabimus et in meritam lucem proferemus: nemo enim de artibus vel utiliora scribit vel planiora quàm Sebastianus ille quem mirantur omnes, ego miror maximè, amo tamen magis. Vale.

BARBIER-VÉMARS.

5. On a souvent mis en question s'il convenait d'initier les filles à la connaissance des langues anciennes, ou s'il fallait borner leur éducation à la pratique de ce qui peut former une bonne ménagère. Ceux qui voudront s'engager dans une discussion si délicate, doivent d'abord écouter le latin d'une Dame qui revendique pour son sexe tous les honneurs de la littérature.

Quî fieri potuit ut, quæ virgines dicuntur, Musæ virginum laudi infestæ crederentur? ut, quæ animorum sunt velut quædam faces, quibus ad magna et laudabilia omnes similiter fœminæ virique accendimur, eædem contaminare muliebres animos dicerentur? Sanè, dùm nobis viri, per malignitatem quamdam arrogantem et stultam, eas opes invident quibus ipsi superbiunt, maledicta invidiæ miscuêre. Aconita ac venena non minùs illi fugiunt quàm nos fugimus, quas vocant sequiorem sexum; quià quæ nobis nocere pestis potest, et illis etiàm potest. Si nobis eruditio est pro veneno, ut obtrectant, quomodò illis prodest, nàm sibi prodesse non negant? Quomodò eâdem peste nutriuntur quæ nos enecat? Ex eruditionis fonte nos mala omnia et flagitia hauriemus, illi verò bibent nectareos latices ad immortalem gloriam! Quam eruditam fatentur, pudicam negant: quasi honesti mores ineptam declarent, neque ulla queat esse virtutis comes nisi stoliditas!

HISTORIETTES. BONS MOTS.

11. Le nouveau consommateur d'huîtres.

Viator quidam nocte frigidissimâ diversorium ingressus, quùm ad focum accedere, utpote à plurimis jàm obsessum, non posset, vocato stabulario : « Heus tu, clarâ voce ait, centum ostreas equo meo statìm appone. — Equone ostreas, exclamat servulus? — Ostreas quidem et quàm properiter equo ministra, inquit viator subirato vultu. — Testasne simùl, an pulpam tantùm? — Testas inquam simpliciter; ipse objectas facillimè aperiet, tali cibo dudùm assuetus. » Corbi immissis ostreis stabularius, rei novitate stupens, ad equile concessit; neque ullus fuit adstantium qui miraculi spectatorem præbere se dubitaret. Hoc commento veterator noster igne deserto potitus, angulum sub ipso lare delegit sibi tepidissimum. Brevì redux intactâ cum corbe stabularius, narrat equum ostreis ne os quidem admovisse. « Mihi ergò ostreas, ait viator, verùm testis hiantibus, appones; equo dabis hordeum. »

12. Le comput rigoureux.

Puer paulò fervidior è gymnasio has ad patrem misit litteras. « Tibi, optime pater, hodiè scribo qui dies est Lunæ; epistolium meum tabellario tradam die Martis; hic tibi reddet, Mercurii; tu pecuniam quam postulo

mittes, Jovis; accipiam ego Veneris; nisi accepero, hujus gymnasii muros transiliam Sabbato, tecum futurus Dominicâ. Vale. »

13. Les gants du teinturier.

Fullo, ad jusjurandum adactus, à judice jussus est dextram altè extollere. Homo manum extulit inveteratâ nigritie infectam. Cui judex: « Amice, ait, amove digitalia. — Tu potiùs, reposuit fullo, admove conspicillum. »

14. Les chirurgiens sans licence.

Peregrinus quidam, sermonis gallici omninò rudis, quùm ex equo decidisset, rustici complures, opis ferendæ gratiâ, ad jacentem properavêre. Hominem erigunt, at videntes valdè claudicantem, os suâ sede motum intelligunt: quod ut in priorem commissuram reducant, crus peregrini certatìm trahunt adnixi. Hic barbarico questu surdis medentium auribus frustrà immugire; illi eò acriùs nervos piamque sævitiem intendere, donec vir bilinguis, illàc iter faciens, miserum haud profuturis cruciatibus eripuit: peregrinus enim clamitabat non luxatum crus; nihil acceptum esse mali; se omni ævo claudicasse. Rustici sudore diffluentes, agnito errore, hominem equo imponunt ridentes non ridentem.

15. Le major de Valenciennes.

Incredibili corporis robore et conspicuâ

proceritate fuit Barsabas, Valencenæ quondàm Major, sic vocant ducis, qui præsidiariis militibus imperat, legatum. Is quùm in ripâ Scaldis ambularet, imprudens offendit cubito caput centurionis cujusdam, obesissimi ventris ac brevissimæ staturæ. Excanduit homuncio, et in pedum digitos erectus, sublatâ quantùm potuit dextrâ gigantis maxillam violavit. « Hujuscemodi contumelia, inquit Barsabas, cruore ablui solet; hanc ego aquâ eluam. » Et cum dicto medium hominem corripiens, lacerto, tanquàm balistâ contortum, in medium amnem procùl jaculatur.

16. La poignée de main acceptée.

Virum eumdem ad singulare certamen provocavit Thraso quidam, peritissimus gladiator et cædibus innumeris stolidè ferox. « Viritìm tecum ego libens dimicabo, ait Barsabas; tu, in fidem, dextram dextræ jungito. » Thraso porrexit manum; quam arreptam Barsabas vivâ forcipe ità strinxit, ut omnia digitorum ossa confringeret, hominemque dimitteret ad mactandos cives prorsùs inhabilem.

17. La poignée de main refusée.

Paulò post quùm Barsabæ causam jurgii Vasco quidam intulisset, gladio litem dirimere utrique placuit. Vasconi alter Hercules dextram porrigit, ut superiori porrexerat; sed

Garumnæ potor, gnarus periculi, stricto ense inopinum transadigit, increpans his verbis : « Sic perfidiæ tuæ fraus obviàm ire debuit. » Ex illo tamen vulnere convaluit Barsabas.

18. Le voleur indiscret.

Fur olìm per tegulas irrepserat in domum quampiam venandi gratià. Nec successit venatus : prodidit hominem strepitus, ortus est tumultus, etiàm vicinis concurrentibus. Ille videns tumultum, miscuit se turbæ, velut unus è numero vestigantium furem, atque ità fefellit. Quùm putarent furem elapsum, desitum est quærere. Fur, quoniàm frustrà tentaverat elabi per fenestras, vicinis arcentibus, decrevit exire per ostium; et fefellisset, nisi tàm parùm continentem habuisset linguam, quàm habebat manus parùm abstinentes. Offendit pro foribus complures de fure confabulantes; et hìc malè precatus est furi, cujus gratià perdidisset pileum : exciderat autem fugitanti pileum quod exceptum est in hoc, ut ejus indicio fur posset aliquandò deprehendi. Ex hâc voce nata est suspicio. Captus est, confessus est, et pependit.

19. Quarante écus.

Quidam famulus cùm vidisset pediculum in veste Ludovici undecimi repentem, flexis genibus ac sublatâ manu significat se nescio quid officii præstare velle. Ludovico præbente

se, sustulit pediculum, et clàm abjecit. Rogante rege quid esset, famulum puduit fateri. Cùm instaret rex, fassus est fuisse pediculum. « Lætum, inquit, omen est; declarat enim me esse hominem, » jussitque pro officio numerari nummos quadraginta.

20. Quarante coups de bâton.

Post dies aliquammultos alter quidam, qui viderat illi feliciter cessisse tàm humile officium, simili gestu aggressus est regem, ac rursùs illo se præbente, simulabat se tollere quidquam è veste regiâ quod mox abjiceret. Cùm urgeret rex tergiversantem, ut diceret quid esset; mirè simulato pudore, tandem respondit esse pulicem. Rex, intellecto fuco, « Quid, inquit, an tu me facies canem? » Jussit tolli hominem, ac, pro captatis quadraginta nummis, infligi quadraginta plagas.

AVIS.

La pièce de vers proposée au premier numéro de l'HERMES, sur la navigation au moyen des machines à vapeur, ne sera publiée qu'au cahier du premier août.

On sentira que les morceaux destinés à ce recueil, doivent nous être adressés au plus tard le VINGT du mois. Le soin particulier qu'exige la correction de l'HERMES, où il est si important d'éviter les fautes de typographie, nous force d'arrêter définitivement la rédaction de chaque cahier plusieurs jours avant la publication.

NOCTES FABULOSÆ.

ASINUS AUREUS.

CAPUT SEPTIMUM.

31. On assigne à l'âne une belle campagne.

Recens nupta gratias summas apud suos parentes ac maritum mihi meminisse non desinebat. Itaque convocatis gravioribus amicis, habetur consilium quo me potissimùm facto dignè remunerarentur. Placuerat uni, domi me conclusum et otiosum hordeo secto, fabâque et viciâ saginari. Sed obtinuit alius, qui meæ libertati prospexerat, ut rurestribus potiùs campis liber discurrerem, omni curâ solutus.

Ergo evocato statìm equisone, magnâ cum præfatione, deducendus assignor. Equiso pollicetur se jussa fideliter exsecuturum. Et sanè gaudens lætusque præcurrebam, sarcinis jàm nunc renuntiaturus. Nactus libertatem, veris initio, pratis herbescentibus, sperabam futurum ùt rosas utique reperirem aliquas, faciemque humanam reciperem. Tàm vicino meârum ærumnarum fine, jàm fausta omnia ominatus, mera somniabam gaudia.

32. Il se voit forcé de tourner un moulin.

Quùm me procùl à civitate equiso ille perduxisset, nullas inveni delicias, libertatem nullam. Nàm protinùs uxor ejus, avara quidem et spurcissima mulier, molæ machinariæ subjugem me dedit; frondosoque baculo subindè castigans, panem sibi suisque de meo parabat corio. Imò vicinorum frumenta, ut quæstum sibi crearet, meo labore conterebat.

Nec misero mihi statuta saltèm cibaria pro tantis præstabantur discursibus : namque hordeum meum frictum, et sub eàdem molà meis quassatum ambagibus, colonis proximis venditabat; mihi verò, sub ipsâ vesperâ, furfures apponebat incretos ac sordidos, multoque lapide salebrosos. Talibus ærumnis edomitus, molares illos circuitus mihi videbar non posse perferre diutiùs. Verùm fortuna meis cruciatibus insatiabilis, aliam denuò mihi pestem instruxit. Delegor enim lignis monte devehendis, puerque mihi præfectus imponitur.

33. Un jeune garçon le tourmente de mille manières.

Non me montis excelsi tantùm arduum fatigabat jugum, sed fustium quoque crebris ictibus persæpè dedolabat rector ille deterrimus. Plagarum mihi medullaris insidebat dolor, nam coxæ dextræ semper ictus incutiens puer, et unum feriendo locum, corium dis-

sipaverat. Sìc ulceris latissimi facto foramine, non tamen desinebat identidem vulnus sanguine delibutum obtundere.

Lignorum tanto me premebat pondere, ut molem elephanto non asino paratam putares. Ille verò, quotiès in alterum latus declinârat sarcina, contrà lapidibus additis insuper, iniquitati ponderis medebatur. Si quo casu, limo lubricante prolapsus corruissem, egregius agaso nullam tanti ponderis partem detrahebat; nullum defesso mihi ferebat auxilium; non manum porrigebat; non capistro me suspendebat; non caudâ sublevabat: sed occipiens à capite et ipsis auribus, me totum cædebat fuste gravissimo, donec plagæ suscitarent.

34. L'âne est cruellement déchiré.

Idem puer mihi et aliam excogitavit perniciem. Spinas acerrimas, et punctu venenato virosas, tortili nodo in fascem constrinxit. Has caudæ meæ deligavit, pensilem cruciatum; sic, ipso incessu, commotæ spinæ incitatæque funestis aculeis me convulnerabant. Igitùr ancipiti malo laborabam: nàm cùm me cursu proripueram, fugiens acerbissimum agasonem, vehementiore nisu spinarum feriebar; sin dolori parcens paululùm restitissem, plagis compellebar ad cursum.

Nihil videbatur aliud excogitare puer ille

pessimus quàm ut me quoquomodò perderet ; idque jurans nonnunquàm comminabatur. Et ipse ejus detestabilem malitiam ad pejores conatus stimulavi : nam quâdam die, quùm nimia ejus insolentia expugnasset patientiam meam, calces validos extuleram.

35. Il se voit au milieu des flammes.

Denique tale facinus in me puer comminiscitur. Stupæ sarcinâ me satis onustum et funiculis probè constrictum producit in viam. De proximâ villulâ spirantem carbunculum furatus, in ipso oneris mei meditullio reponit. Jàm fomento enutritus ignis surgebat in flammas, et totum me funestus ardor invaserat; neque ullum pestis extremæ suffugium, nec spes salutis apparebat.

In rebus scævis affulsit mihi fortunæ nutus hilarior : nam fortè aquam lutulentam in proximo, pluviæ pridianæ reliquias, conspicatus, ibi memet provido saltu totum abjicio; flammâque prorsùs extinctâ tandem, et pondere levatus et exitio liberatus evado. Sed ille impudens puer hîc quoque suum nequissimum factum in me retorsit; et omnibus affirmavit me, spontè vicinorum foculos transeuntem, titubanti gradu prolapsum, ignem ultroneum arcessivisse.

CAPUT OCTAVUM.

36. L'enfant est déchiré par un ours.

Postero die puer, mihi novas fraudes minatus, montem et sylvam petit. At ecce de proximo specu vastum attollens caput, immanis proserpit ursa. Quam simùl conspexi, pernici fugâ concitatus, per prona projecto corpore illicò devolvor; meque immitto campis subpatentibus, summo studio fugiens ursam ursâque pejorem puerum. Unus è paganis nostris, fortè obvius, solitarium vagumque me respiciens, invadit; et properiter inscensum baculo quem gerebat obverberans, domum reducit.

Pueri mater ubi me videt absque ductore meo reversum, in fletus erumpere et metu exanimari. Tunc nonnulli pastores, sollicitis mulieris precibus commoti, mecum redeunt ad sylvam undè lignum puer solebat egerere. Neque uspiàm ruris reperitur ille, sed planè corpus ejus, membratìm laceratum multisque dispersum locis, conspicitur; quam rem procùl dubio sentiebam ego illius ursæ dentibus esse perfectam.

37. La mère se venge sur l'âne.

Tacitus seræ vindictæ gratulabar; at interim pastores cadaver tandem totum repertum ægrè-

que concinnatum, ibidem terræ dedêre. Auditâ morte filii, mater fuscâ veste contecta, ambabus manibus trahens cinerosam canitiem, et ejulans, stabulum irrumpit meum, tunsoque ac diverberato vehementer pectore, incipit :

« Et nunc asinus iste securus voracitati suæ deservit; neque ærumnarum mearum miseretur, vel detestabilem casum defuncti magistri recordatur. Scilicet senectam et infirmitatem meam contemnit ac despicit. Proh deûm fidem, quadrupes nequissime, nonne propugnare pedibus et succurrere misello puero potuisti? Certè dorso receptum auferres protinùs; et infesti latronis cruentis manibus eriperes. Sed non diutiùs meis cladibus lætaberis, homicida. Misero dolori vires adesse senties. »

38. Il subit le supplice du feu.

His dictis, amens suam exsolvit fasciam; pedesque meos sigillatìm alligans, indidem constrinxit arctissimè, ità ut nullum vindictæ meæ superesset præsidium. Et illicò arrepto fuste, non priùs me desiit obtundere, quàm victis fessisque viribus, manibus ejus fustis esset elapsus. Tunc de brachiorum suorum citâ fatigatione conquesta, procurrit ad focum; ardentemque torrem gerens, mediis femoribus obtrusit.

De me actum erat, nisi mulier dolore, irâ et lassitudine penè exanimata, concidisset et

defecisset. Statim ego totius corporis succussu funestum torrem à cute meâ arceo. Dùm mulier animum recipit, propinqui ejus et amici me vendere decernunt, nè conspectus meus miseræ matri amissi filii refricet memoriam. Igitur expedior vinculis, ac licet plagis admodùm fatigatus, mirâ cum alacritate exsurgo. In proximam urbem deductus, ad mercatum producor.

39. L'âne est mis en vente.

Ibi equi generosiores atque alii asini ab opulentis emptoribus præstinabantur, at me relictum solum cum superbo fastidio plerique præteribant. Nonnulli tamen, de dentibus meis ætatem computaturi, gingivas meas putridis scalpebant digitis. Jàmque tædio tàm squalidæ contrectationis, manum cujusdam nimio fœtore sordentem, mordicùs arreptam penissimè contrivi. Quæ res circumstantium animos ab emptione meâ, utpotè ferocissimi, deterruit.

Tunc præco, diruptis faucibus et raucâ voce saucius, in meas fortunas ridiculos construebat jocos : « Quem ad finem, clamitabat, strigosum istum asinum venalem frustrà proponemus, et vetulum, et extritis ungulis debilem, et colore deformem, et in hebeti pigritiâ ferocem, nec quidquam ampliùs quàm pessimum cribrum. Quarè vel donemus eum cuipiam, si

quis tamen fœnum suum perdere non gravatur. »

40. Il sert de monture à la Déesse Syrienne.

Ad istum modum præco ille cachinnos circumstantibus commovebat. Sed illa fortuna mea asperrima rursùm in me cæcos detorsit oculos; et emptorem aptissimum duris meis casibus mirè repertum objecit : senem scilicet, calvum quidem, cincinnis semicanis et pendulis capillatum; unum de triviali eorum fæce, qui per plateas et oppida, cymbalis et crotalis personantes, Deam Syriam circumferunt mendicantem. Hic, depenso septemdecim denariûm pretio, me, sibi à præcone libenter traditum, tomice sparteâ deligat, abducturus.

Quùm omnes emptorem meum, satis dicaculè tractarent quòd tàm debile jumentum præstinâsset, « At vos omnes, exclamavit senex, perdat omnipotens et omniparens Dea Syria, qui scurrilibus jàm dudùm jocis contrà me velitamini! An me putatis ineptè jumento validiori posse Deam committere, ut egregius ille vector turbatum repentè divinum dejiciat simulacrum; egoque miser cogar discurrere, et Deæ meæ humi jacenti aliquem medicum quærere? »

CAPUT NONUM.

41. L'âne figure à la procession.

At senex me, novitium famulum, ad infames mendicos, qui se falso nomine sacerdotes vocari curabant, trahebat, et procùl, « Sodales, inquit, servum vobis pulchellum en ecce mercatus perduxi. » Tunc juvenis quidam, qui sociis circumgestantibus Deam cornu canens adambulare solebat, mihi ad præsepe destinato largiter apposuit cibaria.

Die sequenti, mendici variis coloribus indusiati, et deformiter quisque formati, facie cœnoso pigmento delità, et oculis obunctis graphicè, prodeunt, mitellis et crocotis et carbasinis et bombycinis ornati; Deamque, serico contextam amiculo, mihi gerendam imponunt. Tùm brachiis humero tenùs renudatis, attollunt immanes gladios cum securibus, et quasi furentes exsiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium. Nec paucis percursatis casulis, ad quamdam villam opulentissimi viri perveniunt.

42. Les prêtres de la Déesse se mettent à se déchiqueter le corps.

Ab ingressu primo, statìm absonis ululatibus constrepentes, fanaticè pervolant; diùque capite demisso cervices lubricis intorquent mo-

tibus, crinesque pendulos rotant in circulum, et nonnunquàm morsibus suos ipsorum petunt musculos : ad postremum ferro quod gerebant sua quisque brachia dissecant.

Inter hæc unus ex illis bacchatur effusiùs; ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens, velut numinis divino spiritu repletus, simulat vecordiam. Hic conficto mendacio, semet ipsum incessere atque criminari, quasi contrà fas sanctæ religionis designâsset aliquid; et commentitii facinoris pœnas ipse de suis manibus exposcere. Arrepto deniquè flagro multinodo, et pluribus ovium astragalis tessellato, indidem sese crebris mulctat ictibus. Cerneres prosectu gladiorum ictuque flagrorum, humum nefarii sanguinis spurcitie madescere. Quæ res incutiebat mihi non parvam sollicitudinem nè Dea, largiter profuso cruore gaudens, asininum quoque sitiret sanguinem.

43. Les aumônes pleuvent de toute part.

Ubi tandem fatigati, vel certè suo laniatu satiati, pausam carnificinæ dedêre, stipes æreas imò et argenteas, multis certatìm offerentibus, sinu recepêre patulo. Alii vini cadum, et lac et caseos, et farris siliginisque aliquid, et hordeum Deæ gerulo donavêre. Mendici corradentes omnia in sacculos, huic quæstui de industrià præparatos, farciunt; quos dorso meo congerunt, ut ego duplici scilicet sarcinæ

pondere gravatus, et horreum simùl et templum incederem.

Ad istum modum palantes omnem illam deprædabantur regionem. Die quodam, sylvosi montis asperum permensi jugum, rursùsque ad plana camporum spatia pervecti, sub vesperam pervenimus ad quoddam castellum frequens et opulentum. Hujus incolæ nos nocturnâ imò matutinâ etiàm egressione prohibere, nè feris præda fieremus, conabantur.

44. Nouveaux dangers.

Lupi enim et multi et grandes, passìm rapinis assueti, infestabant totam illam regionem; jamque ipsas vias obsidebant, et, in modum latronum, prætereuntes aggrediebantur. Nonnulli, vesanâ fame rabidi, finitimas expugnârant villas et in ipsos homines impetum fecerant. Suadebant igitur castellani agrestes ut, luce clarâ et die jàm provecto et sole florido, vitaremus undiquè latentes insidias; nàm ipso lumine dirarum bestiarum tardatur impetus. Sed pervicacissimi ductores illi nostri, spretâ salubri monitione et armis suis fidentes, antè diluculum proficiscuntur, meque onustum ad viam propellunt.

Nec falsa nobis hospites nostri prædicaverant: nàm ob iter jacebant semesa hominum corpora, suisque visceribus nudata passìm ossa candebant. Itaque sacerdotes nostri, jàm

non laciniatìm disperso, sed cuneatìm stipato commeatu, corripiebant gradum. Ego verò non inscius prædicti periculi; quantùm potui turbæ medius, clunibus meis ab aggressionibus ferinis consulebam. Jàmque meam pernicitatem omnes mirabantur.

45. Grand combat d'hommes, de chiens et de loups.

Quùm prima lux albesceret, imam tenebamus vallem; nec procùl à villâ quâdam aberamus, quùm ecce lupi complures, non sinè horrendis ululatibus, in agmen nostrum de vicini montis nemore inferuntur. Nostri clamoribus et gladiis hostem excipiunt satis fortiter; at illius villæ coloni, pugnam prospicientes, mittunt nobis pejus malo auxilium. Canes nimirùm rabidos et immanes, et quibusvis lupis et ursis sæviores, quos ad tutelæ præsidia curiosè aluerant, solitis vocibus in lupos acuunt.

Illi canes, præter genuinam ferocitatem, tumultu suorum exasperati, passìm insilire; et undique laterum circumfusi, sinè ullo delectu et lupos et sacerdotes et me miserum lacerare; fugientes arripere, stantibus inhærere, jacentes inscendere, et per omnem nostrum commeatum morsibus ambulare: donec, villicis accurrentibus, infestorum canum ægrè revocata à nobis, in fugientes lupos abiit procella. Tunc quisque vulneribus

medelas adhibere. Hic cruorem præterfluentis aquæ rore diluere; ille spongiis madidatis tumores comprimere; alius fasciolis hiantes vincire plagas.

CAPUT DECIMUM.

46. Nos prêtres sont accueillis dans une grande maison.

Vix luporum et canum dentibus erepti mendici illi sacerdotes, villicorum sumptu geniales instruunt dapes : fictæ enim vaticinationis mendacio, pinguissimum deposcunt arietem qui Deam Syriam esurientem suo satiet sacrificio. Postero die probè curati, utpotè assueti vulneribus, villam relinquunt, et satìs prolixo itinere emenso perveniunt ad quamdam nobilem civitatem.

Inibi vir dives et eximiè religiosus, tinnitu cymbalorum et sonitu tympanorum excitus procurrit obviàm; Deamque votivo suscipiens hospitio, nos omnes intrà conseptum domûs amplissimæ constituit; numenque summâ veneratione atque hostiis opimis placare contendit. Inter cæteras lautitias, immanis cervi pinguissimum femur sacerdotibus apponi jussit. Sed femur illud cervinum, incuriosè ponè culinæ fores non altiusculè suspensum, venaticus canis latenter invaserat.

47. La cuisse de l'âne doit être servie à souper.

Quo damno cognito, suâque reprehensâ negligentiâ, coquus diù lamentatus lacrymis inefficacibus, jamjàmque domino cœnam flagitante mœrens, et utcumquè metuens, mortem sibi nexu laquei comparabat.

Sed hujus uxor, funestum nodum violenter invadens, manibus ambabus : « Adeòne, inquit, mi vir, præsenti malo perterritus, mente excidisti tuâ? Nec fortuitum istud remedium, quod Deûm providentia subministrat, intueris? Advenam hunc asinum, remoto quodam loco deductum, jugula; femurque ejus ad perditi femoris similitudinem detractum, appone domino : hæc enim coxa accuratiùs præparata, et idoneis condimentis sapidissimè decocta, cervinæ vicem, vel eruditissimo palato, præstiterit. Macte igitur, et ex arte tuâ tibimet, mihique et parvulis nostris para salutem. »

Trepido verberoni sua placuit salus de meâ morte; et uxoris sagacitate laudatâ, cultros acuebat.

48. L'âne renverse le cuisinier et se sauve.

Sic ille contrà me manus impias obarmabat carnifex. Mox devoto femori meo blanditus perfidâ palpatione, abducit me clàm ad illum remotum locum. At ego, præcipitante consilium periculi tanti præsentiâ, lanienam imminentem fugâ vitare statui; et improvisò in

tergum antecedentis coqui validissimè arietans sterno hominem; cursuque me proripio totis pedibus.

Illicò me, raptìm transcursâ proximâ porticu, triclinio patenti immitto, in quo dominus ædium sacrificales epulas cum sacerdotibus Deæ cœnitabat; mensasque cibario apparatu oneratas, meo impetu collido atque disturbo. Quâ rerum deformi strage paterfamiliâs commotus, me ut importunum atque lascivum, cuidam famulo traditum certo aliquo loco clausum jussit cohiberi, nè rursùs convivium simili petulantiâ dissiparem.

49. On le croit attaqué de la rage.

Salutari carceris custodiâ mihi gaudebam; jàmque Fortunæ agebam gratias, verùm præposteras. Mihi enim idipsum commentum, cui momentariam salutem debebam, periculum grande, imò exitium præsens conflavit aliud.

Subitò unus servorum, pallidâ facie, irrumpit triclinium. Suo annuntiat domino, de proximo angiportu canem rabidam paulò antè invasisse domum; statim ardenti furore venaticos canes petiisse; ac dehinc in proximo stabulo pleraque jumenta morsibus lacerâsse; nec postremùm saltèm ipsis hominibus pepercisse; certè venenatis dentibus contacta nonnulla jumenta efferari jàm simili rabie.

Quæ res omnium valdè percussit animos; ratique me etiàm, eâdem peste infectum, ferocire, arreptis lanceis, venabulis et bipennibus, in exitium meum concurrebant.

50. Il s'empresse d'affecter la plus grande douceur.

Sed tantus eorum furor repentè resedit: nàm de rimâ quidam prospicientes, sanum me atque sobrium otiosè consistere nuntiant. Jàmque ultrò foribus patefactis, pleniùs, an sim omninò mansuefactus, periclitantur.

Unus tamen ex his de cœlo missus mihi sospitator, argumentum explorandæ sanitatis meæ tale commonstrat cæteris; nimirùm ut aquæ recentis plenam pelvem offerrent potui meo: ac si intrepidus et more solito aquas haurirem, sanum me atque omni morbo scirent expeditum: contrà verò si visum contactumque laticis vitarem ac perhorrescerem, pro comperto noxiam rabiem pertinaciter durare.

Itaque vas immane confestìm aquæ perlucidæ, de proximo petitæ fonte, cunctantes adhùc offerunt mihi. At ego, sinè ullâ morâ progressus, satis sitienter, pronus et totum caput immergens, salutares verè illas aquas hauriebam. Jàmque et palpationes circumstantium, et mearum aurium flexus, et ductum capistri et quidvis aliud placidè patiebar; quoàd modestiam meam liquidò cunctis approbarem.

Ad istum modum vitato duplici periculo, die sequenti rursùm divinis exuviis onustus; cum crotalis et cymbalis, ego, circumforaneum mendicabulum, producor ad viam.

CAPUT UNDECIMUM.

51. La police se mêle des affaires de la Déesse.

Viam sequebamur partìm lacunosis incilibus voraginosam, partìm stagnanti palude fluidam, et alibi subluvie cœnosâ lubricam. Crebris deniquè offendiculis et assiduis lapsibus jàm crura mea adeò contusa erant, ut vix tandem ad campestres semitas fessus evadere potuerim. Et ecce nobis repentè de tergo manipulus armati supervenit equitis; ægrèque cohibito equorum impetu, nostros sacerdotes involant avidi; colloque constricto, sacrilegos impurosque compellant, ac pugnis interdùm sævioribus obverberant; manicis etiàm vinctos coarctant.

Tùm nefarios homines urgenti sermone comprimunt, jubentque ocyùs aureum cantharum, ab ipsis Cybeles pulvinaribus furto ereptum, promere. Imò unus equitum, manu super dorsum meum injectâ, in ipso Deæ quam gerebam gremio scrutatus, reperit et coràm omnibus aureum deprompsit cantharum. Mendicos retrorsùm abductos in tullianum compin-

gunt; atque alterâ die productum me rursùm voci præconis venalem subjiciunt.

52. L'âne trouve enfin une meilleure condition.

Duo servi fratres me undecim denariis emerunt. His erat dives admodùm dominus. Horum alter, pistor dulciarius, panes et mellita concinnabat edulia; alter, coquus, sapidissima pulmenta condiebat. Unico illi contubernio communem vitam sustinebant. Quùmque dominum juvaret regiones plusculas pererrare, me ad gestandum vasa aliqua variis usibus necessaria, præstinârant.

Adsciscor itaque inter duos illos fratres tertius contubernalis, haud ullo tempore tàm benignam fortunam expertus: nàm vesperâ, post opiparas cœnas, earumque splendidissimos apparatus, domini mei solebant in cellulam suam multas convivii partes reportare; hic scilicet porcorum, pullorum, piscium et ejusmodi pulmentorum largissimas reliquias; ille panes, crustula, lucunculos, laterculos et complura scitamenta mellita.

53. Il se nourrit secrettement d'ortolans et de pâtisseries.

Quùm illi, clausâ cellulâ, balneas petiissent, oblatis ego divinitùs dapibus affatìm saginabar. Neque enim tàm stultus eram, tàmque verè asinus, ut, relictâ illâ dulcissimorum ciborum copiâ, cœnarem asperrimum fœnum.

Diù quidem pulcherrimè mihi rapinæ pro-

cedebat artificium ; timidè enim adhùc et satis parcè subripiebam de tàm multis pauciora. At quum fiduciâ latendi partes opimas quasque devorarem , et spretis rancidioribus abligurirem dulcia , suspicio non exilis fratrum pupugit animos. Illi verò tandem mutuò sese rapinæ turpissimæ criminabantur. Jàmque curam diligentiorem , et acriorem custodiam, et dinumerationem adhibebant partium.

Ruptâ deniquè verecundiâ, sic alter alterum compellat : « At istud, frater, haud æquum est, partes electiores quotidiè surripere, atque his divenditis peculium latenter augere. Si tibi societas hæc displicet, possumus omnia quidem cætera fratres manere, ab isto tamen nexu communionis discedere. » Hîc alter dejerat nullius se fraudis esse conscium.

54. Il se laisse enfin surprendre.

Ambo demùm statuunt debere cunctis artibus communis dispendii causam inquiri. Nàm neque asinum, qui solus interesset, talibus cibis affici posse; nec utique cellam suam tàm immanes involare muscas ut olim Harpyiæ fuêre, infestissimæ dapibus volucres.

Intereà liberalibus cœnis inescatus, et humanis affatìm cibis saginatus, corpus obesâ pinguedine compleveram; corium arvinâ succulentâ molliveram; pilum honesto nitore nutriveram. Sed iste corporis mei decor pudori

peperit grande dedecus. Insolitâ namque tergoris mei vastitate commoti, fœnumque prorsùs intactum remanere cernentes, jàm totos ad me dirigunt animos.

Horâ consuetâ velut balneas petituri, claufis ex more foribus, per quamdam rimulam me vident passim expositis epulis inhærentem. Mirati monstrosas asini delicias, risu maximo disrumpuntur; vocatoque uno et altero ac deindè pluribus conservis, demonstrant infandam memoratu hebetis jumenti gulam.

55. Il passe au service d'un homme opulent.

Tantus deniquè ac tàm liber cachinnus cunctos invaserat, ut ad aures quoque prætereuntis perveniret domini. Sciscitatus ille quid bonum rideret familia, cognito quod res erat, ipse quoque per eamdem prospiciens rimulam, delectatur eximiè, ac dein risu ipse quoque latissimo, adusquè intestinorum dolorem redactus, jàm patefacto cubiculo proximè consistens, coràm inspicit.

Ego tandem, quùm mihi jàm molliùs renideret fortuna, gaudio præsentium mihi subministrante fiduciam, securus esitabam in conspectu omnium; nec tantillùm commotus videbar: quoàd novitate spectaculi lætus dominus ædium ab emptoribus meis me, numerato pretii quadruplo, rursùm emit. Emptum perducit suis ipse manibus ad triclinium.

CAPUT DUODECIMUM.

56. L'âne prend place à table.

Mensâ positâ, dominus meus omne genus edulium solidorum et illibata fercula jussit apponi. At ego, quamvis jàm bellulè suffarcinatus, gratiorem commendatioremque me tamen ei facere cupiens, esurienter exhibitas escas appetebam. Nàm et quidquid potissimùm abhorreret asinus excogitantes scrupulosè, ad explorandam mansuetudinem id offerunt mihi : carnes lasere infectas, altilia pipere inspersa, pisces exotico jure perfusos. Interim convivium summo risu personabat.

Quidam deniquè præsens scurra, « Date, inquit, sodali huic quippiam mulsi. » Quod dictum dominus secutus, « Heus, ait, puer, aureum cantharum mulso et multo misce, et affer parasito meo. » Ingens exin oborta est epulonum expectatio. Ego interritus, otiosè ac satìs genialiter, grandissimum illum calicem uno haustu perhausi. Clamor exsurgit consonâ voce cunctorum salute me prosequentium.

57. On entreprend son éducation.

Magno delibutus gaudio dominus me cuidam acceptissimo liberto suo tradidit, qui me satìs humanè satìsque comiter nutriebat. Quò

se patrono commendatiorem faceret, studiosissimè voluptates ei per meas argutias præparabat. Et primùm me quidem mensæ accumbere suffixo cubito docuit; dein saltare sublatis primoribus pedibus. Didici etiam, quod esset imprimìs mirabile, verbis nutum commodare, ità ut quod nollem quod vellem capitis vario motu monstrarem; utque sitiens, pocillatore respecto, ciliis alterna connivens, bibere flagitarem.

Hæc omnia perfacilè obediebam, quæ nullo etiàm monstrante scilicet facerem. Sed verebar nè, si fortè sinè magistro hoc ederem humano ritu, plerique infaustum præsagium portendi arbitrantes, me, velut monstrum ostentumque, obtruncatum vulturibus opimum pabulum projicerent.

58. Il quitte la Thessalie.

Jàm publicè crebruerat fama mearum artium. Quoquò iret Thyasus (hoc enim nomine meus nuncupabatur dominus), « Hic est, aiebant, qui sodalem convivamque possidet asinum, saltantem asinum, voces humanas intelligentem sensumque nutibus exprimentem. »

Thyasus, oriundus patriâ Corintho, gradatìm permensis honoribus, quinquennali magistratui destinatus fuerat. Itaque munus gladiatorium et triduana spectacula Corinthiis erat pollicitus. Ideòque in Thessaliam venerat ut

nobilissimas feras et famosos indè gladiatores compararet.

Jàm ex arbitrio dispositis coemptisque omnibus, domuitionem parabat. Ipse luculentis illis suis vehiculis uti noluit; equos etiam Thessalicos et Gallicana jumenta sprevit; me unum conscendere voluit. Me igitur phaleris aureis et fucatis ephippiis, et purpureis tapetis, et frænis argenteis, et tintinnabulis perargutis exornatum, ipse residens amantissimè nonnunquàm comissimis affabatur sermonibus; atque summè se delectari profitebatur, quòd haberet in me simùl et convivam et vectorem.

59. Il joue le principal rôle à Corinthe dans un spectacle public.

Ubi partìm terrestri, partìm maritimo itinere confecto, Corinthum accessimus, magnæ civium turbæ confluebant, non tantùm Thyasi honori dantes, quam conspectûs mei cupientes. Nàm tanta ibidem etiàm de me fama pervaserat, ut libertus ille meus magister non mediocrem quæstum faceret. Qui, quùm multos videret lusus meos spectare gestientes, obseratâ fore atque singulis eorum seorsùm admissis, stipes accipiens non parvas, summulas diurnas corradere consueverat.

Orto demùm die quo ludos publicos et munus gladiatorium Thyasus erat exhibiturus, me quoque spectaculo destinat asinum huma-

nis cibis vesci solitum. Igitur ad caveam, prosequente populo, cum pompâ ingenti deducor. Ludicris scenicorum choreis primitias spectaculi dedicant; cœteros deindè ludos ex more et ordine faciunt. Sed neque gladiatorum neque ferarum certamina solitos plausus obtinent; cuncti enim cœnam meam votis ac deniquè clamoribus postulant. Illicò longa mensarum series medio loco instruitur; quæ postquàm lautissimis ferculis et vario cupediarum apparatu oneratæ sunt, mihi palatum eò acriùs stimulabant, quòd cibum totâ die Thyasus ex industrià negaverat.

60. Apulée reprend la forme humaine.

Progredior tandem et partes meas tàm strenuè ago, tot pulmenta deglutio, tot voro placentas, tot crustula sorbeo, tantam edo carnium stragem, tot cantharos denique haurio (nam adstabant mihi formosi pueri pincernæ vinum in auro ministrantes), ut omnes incredibile gaudium et immodico risu et æmulis clamoribus declararent. Undiquè simul spectatores floreas corollas ad me projiciunt; quas inter unam animadverto recentibus rosis intextam. Illicò relictà mensà, quùm illi arbitrarentur me ad saltandum surrexisse, ad faustissimam corollam trepidans accessi; rosasque, quamvìs cor assiduo pulsu micaret, avido ore susceptas cupidissimè devoravi.

Protinùs mihi delabitur deformis et ferina facies. Primò quidem squalens pilus defluit; dehinc cutis crassa tenuatur; venter obesus residet; pedum plantæ per ungulas in digitos exeunt; manus, quæ nuper pedes erant, in erecta porriguntur officia; cervix procera cohibetur; os et caput rotundatur; aures enormes repetunt parvitatem pristinam; dentes saxei ad humanum modum redeunt; et quæ me potissimùm cruciabat antè, cauda nusquàm comparuit; ad meum deniquè redieram Lucium.

Populus insperato spectaculo atque inopinato perculsus in duas sententias scinditur; alii æquum judicabant ut, veluti veneficiorum peritissimus, igni cremarer protinùs; alii censebant expectandum esse dùm loquerer. At interim me Demeas meus et complures alii Corinthii nobiles, inter quos ipse Thyasus, agnoverant. Sic flammis ereptus in optatissimo portu, post tot exantlatos labores et meritissimas pœnas, demùm conquievi.

Matières de vers proposées pour le numéro du premier septembre,

1°. La Fantasmagorie.

2°. Inscription pour la Bibliothèque du Roi.

HERMES ROMANUS,

OU

MERCURE LATIN.

N° 3. — 1er Août 1816. — Tome I.

L'HERMES est publié le premier de chaque mois, à commencer du premier juin 1816, par cahiers de 48 pages in-12. Le prix de l'abonnement est de QUINZE FRANCS par an, pour la France, et de VINGT FRANCS pour les pays étrangers, port franc par la poste. On ne peut souscrire que pour l'année entière, à Paris, rue du Cloître Notre-Dame, n° 4. On s'abonne aussi chez tous les Libraires de l'Europe. Les lettres non affranchies resteront au rebut.

VETERUM CARMINA.

6. Valérius Flaccus, ami de Martial, nous a laissé les premiers livres d'un poëme assez froid sur l'expédition des Argonautes. On y trouve cependant de beaux morceaux ; en voici un :

Amycus, roi des Bébryces, fils de Neptune, obligeait tous les étrangers à soutenir contre lui le combat du ceste. Sa force prodigieuse avait abattu tous ses antagonistes. Le vaisseau Argo ayant abordé dans ses états, il provoque les guerriers grecs avec l'insolence des temps héroïques ; Pollux, fils de Jupiter, accepte le défi. Le Tartare permet que les ombres des victimes d'Amycus fassent partie des spectateurs de ce combat.

Dixerat : at nudo steterat jàm pectore Pollux ;
Tùm pavor et gelidus defixit Castora sanguis.
Illum Amycus, nec fronte trucem, nec mole tremendum,

Vixdùm etiàm primæ spargentem signa juventæ,
Ore renidenti lustrans obit, et fremit ausum;
Sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes.
Sìc adeò insequitur, rabidoque ità murmure terret.
« Quisquis es, infelix celera puer : haud tibi pulchræ
Manserit hoc ultrà frontis decus; orave matri
Nota feres. Crudis durata volumina tauris
Aspicis hæc? Tu quos poteris, puer, indue cæstus. »
Filius æquorei regis, non plura moratus,
Ingentes humeros spatiosaque pectoris ossa
Protulit, horrendosque toris informibus artus.
Deficiunt visu Graii; miratur et ipse
Tyndarides. Rapiunt cæstus; odia aspera surgunt
Ignotis priùs; atque incensâ mente feruntur
In medium sanguis Jovis et Neptunia proles.
Hinc illinc dubiis intenta silentia votis.
Tunc pater orantes cæsorum Tartarus umbras
Nube cavâ tandem ad meritæ spectacula pugnæ
Emittit : summi nigrescunt culmina montis.
Continuò Bebryx, (Maleæ velut arce fragosâ
Turbo rapax), vix ora virum, vix tollere passus
Brachia, torrenti præceps agit undique nimbo,
Cursibus involvens, totâque immanis arenâ
Insequitur. Vigil ille metu, cum pectore et armis
Hùc alternus et hùc, semper cervice reductâ,
Semper et in digitis, et summi pulvere campi,
Projectusque redit, cunctos et providus ictus
Servat, et Œbaliâ dubium caput eripit arte.
Ut deindè urgentes effudit nubibus iras
Ardoremque viri, paulatìm insurgere fesso
Integer, et summos manibus deducere cæstus.
Ille dies ægròs Amyci sudoribus artus
Primus, et arenti cunctantem vidit hiatu.
Hunc pudor, hunc noto jàm spes audentior hoste
Instimulat. Fumant crebro præcordia pulsu;
Avia responsant gemitu juga : pervigil ut cùm

Artificum regit ipse manus, et fulmina Cyclops
Prosubigit : pulsis strepitant incudibus urbes.
  Emicat hic, dextramque parat dextramque minatur
Tyndarides; redit hùc oculis et pondere Bebryx
Sic ratus : ille Amyci celeri rapit ora sinistrâ.
Conclamant socii, et subitas dant gaudia voces.
Regem insperatâ turbatum fraude, furentemque
Œbalides primâ refugit, dùm detonet, irâ,
Territus ipse etiàm, atque ingentis conscius ausi.
Sævit inops Amycus, nullo discrimine sese
Præcipitans; avidusque viri, (respectat ovantes
Quippè procul Graios) cæstu velatus utroque
Irruit. Hos inter Pollux subit, et trucis ultrò
Advolat ora viri; nec spes effœta : sed ambæ
In regem cecidêre manus. Hoc sævior ille
Ecce iterùm vacuas agit inconsulta per auras
Brachia. Sentit enìm Pollux rationis egentem;
Protinùs effusum sequitur, turbatque premitque
Ancipitem; crebros et liber congerit ictus
Desuper averso. Sonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditque malis; jàm tempora manant,
Sanguineæque latent aures : vitalia donec
Vincula, quà primo cervix committitur artu,
Solvit dextra gravis. Labentem propulit heros,
Ac super insistens : « Pollux ego, natus Amyclis,
Et Jove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes. » Jacet ille hominum pavor, arvaque latè
Occupat; annosi veluti si decidat olim
Pars Erycis vel totus Athos. Quâ mole jacentis
Ipse etiàm expleri victor nequit, oraque longo
Cominùs obtutu mirans defixit. At omnes
Pollucem densis certatìm amplexibus urgent.



RECENTIORUM CARMINA.

14. Desbillons, jésuite très-distingué pour sa latinité aussi pure qu'élégante, fut surnommé le *dernier des Romains*. A l'abolition de son ordre en France, il quitta le collège de Louis-le-Grand dont il faisait la gloire, pour se retirer à Manheim, dans l'asile honorable que lui ouvrit l'Electeur palatin. Il a laissé XV livres d'excellentes fables. Voici la 29ᵉ du XIIIᵉ livre.

Sciurus et Canis.

Nemore Sciurum è patrio raptum coquus
Nidorem alebat inter et fuliginem.
Inclusus ille textili caveâ, leves
Celeresque vivido et agili motus dabat
Corpore, suamque pensilem rotam movens
Modò in posticam partem, in anticam modò,
Et usque, et usque, carceris longum sui
Fallere studebat ludo inani tædium.
In angulo jacebat intereà Canis
Quietus ad tepentes reliquias foci.
Hunc ità Sciurus increpat : non te pudet
Solidos pigritiâ tam veternosâ dies
Corrumpere ? Ad me fortè nunquàm respicis,
Vivum undè singularis diligentiæ
Exemplum petere fas erat : verumtamen
Respice aliquando, si sapis, et ex hoc meo
Laborioso more vivendi, pigrum
Excutere virus disce. Respondet Canis :
Cur non quiescam, cùm datur licentia ?
Exspecta verò ; cœna herilis mox erit
Assanda ; permovebo tunc versatilem
Meam quoque rotam ; et proderit meus labor ;
Tuus quidem est perpetuus, ast inutilis.
Fabula quibusdam scripta est ardelionibus
Qui, se moventes sedulò, nil promovent.

16. Tout le monde connaît l'ode de Rousseau, *Les cieux instruisent la terre*, tirée du 18e psaume *Cœli enarrant gloriam Dei.* Le docteur anglais Lowth (voyez page 62), dans les vers suivans, nous paraît disputer la palme au lyrique français.

Immensi chorus ætheris,
Orbes stelliferi, lucida sidera,
Laudes concelebrant Dei,
Auctorisque canunt artificem manum.
Dulces excipiunt modos
Noctem ritè dies, noxque diem premens;
Alternoque volubiles
Concentu variant perpetuum melos.
AEterni celebrat chori,
Concordi sacra vox eloquio Deum,
Cœlorum in penetralibus
Soli qui posuit celsa palatia:
Lætos undè ferens gradus
Prodit, ceu thalamo sponsus ab aureo;
Fidens viribus ut gigas,
Præscriptum stadii carpit ovans iter.
Cœli limite ab ultimo
Egressus, rediens limitem ad ultimum,
Emensam relegit viam,
Fœcundisque fovet cuncta caloribus.

Non lex sancta Dei minùs
Languentes animas vi reficit sacrâ:
Puro lumine lex Dei
Illustrans oculos, et tenebras fugans;
Informans animos rudes,
Cœlestique replens corda scientiâ.
Illam justitia et fides
Fixit perpetuam, æternaque veritas.
Non illam æquiparat pretio
Aurum, jàm rutilis purius è focis;

Non dulcedine quæ recens
Stillant pressa favis mella liquentibus.
Fida adstat monitrix suis,
Et merces eadem magna, clientibus.

Quis lapsus tamen ah! suos,
Quis secreta sinu crimina perspicit?
Adsis, o Deus! o pater!
Da cæcis veniam, da miseris opem!
Errantes cohibe gradus,
Effrænemque animi frange superbiam.
Solùm munere sìc tuo
Mox insons sceleris, purus ero mali:
Sìc o sìc placeant tibi
Quæ supplex meditor, quæ loquor, o Deus!

---

16. Epigramme contre un médecin pauvre.

Qui modò venisti nostram mendicus in urbem,
Paulùm mutato nomine, fis medicus.
Pharmaca das ægro; nummos tibi porrigit æger:
Tu morbum curas illius, ille tuum.

Owen.

---

17. Les prophètes et les poëtes.

Illi de rebus prædicere vera futuris,
Hi de præteritis dicere falsa solent.

Owen.

---

18. La nouveauté.

Quæ nova sunt, hodièque placent, non usque placebunt.
Cur ità? quæ nova sunt, nòn nova semper erunt.

Owen.

---

19. Un des premiers embellissemens de Paris a été la destruction du petit Châtelet, horrible prison, établie dans une fortification que Jules César avait fait bâtir pour contenir les Parisiens nouvellement soumis à la domination romaine. Ce Châtelet avait été rebâti en 1369. Sa démolition, ordonnée par Louis XVI, a donné lieu à la pièce que nous publions.

Dùm latè attonitam sublimia tecta per urbem
Regifico surgunt luxu, molesque superbæ
AEmula vicino tollunt fastigia cœlo,
Quæ nova sese oculis pandunt spectacula nostris!
Quid ruere antiquas ædes à sedibus imis
Certant mille manus, vastoque avulsa fragore
Culmina præcipitant? Thalamo stupet inscius alto
Sequana; arundiferum summâ caput arduus undâ
Tollit, et ingentem gaudet spectare ruinam.
Stabat nempè domus tenebroso vasta recessu,
Et formidandam nigrâ fuligine frontem
Longè ostentabat minitans; hàc flectere si quis
Audet iter, tacitâ trepidus formidine cursum
Accelerat; rapido fugiens loca tristia gressu.
Hîc luctus terrorque sedent; hîc Cerberus alter
Tartareos postes ferrataque limina servat.
Hîc flentûm audiri gemitus, et tracta sonare
Vincula, et ærato stridentes cardine portæ.
At formæ quales, quænam simulacra, cavernas
Immanes habitant! Heu viva cadavera credas
Surgere de tumulis; deturpat squalida vultus
Barba sepulchrales; rugis deformibus ora
Ante diem sulcata horrent; stant lumina semper.
Ergò quod potuêre scelus committere tantum,
Quod tàm immane nefas ausi, qui talia pendant
Supplicia, et longâ pereant sic morte necati?
Scilicet adversis fortunæ casibus acti
Solvere non fractis potuerunt nomina rebus.
Necquicquam amplexæ genua exactoris avari

Cum teneris viduæ uxores flevêre puellis!
Humanis precibus mansuescere nescia, prædas
Improba avarities speluncis abdidit atris.
Ipsa tenens primos aditus, noctesque diesque
Altâ voce tonat: « Vel pactum reddite fœnus,
Dulcia vel nunquàm cœli aspectare licebit
Lumina; si vestro mihi non datur ære potiri,
Me vestris saltèm lacrymis pavisse juvabit. »
Quid facient miseri? Lucis spes nulla videnda
Jam superest, et ineluctabilis incubat horror.
Ergò confecti curis, vitamque perosi,
Mortem infelices orant. O vivite tandem,
Vivite, et antiquos oculis abstergite fletus.
Hactenùs interpres longorum lingua dolorum
In lætos tandèm discat se solvere cantus;
En gemitus vestros solio Lodoicus ab alto
Audiit, atque pio cruciatus pectore sensit.
Vos jubet è tenebris superas emergere ad auras,
AEquarique solo fatalia mœnia, vestro
Quæ totiès planctu, et vestris sonuêre querelis.
Jamque manus addunt operi, gratoque labori
Incumbunt alacres; certant avellere turrim,
Antiquam turrim, quam nemo interritus unquàm
Suspexit; jàmque horrendo concussa fragore
Ingentem latè traxit domus atra ruinam.
Tùm juvat infernas sedes atque antra videre
Eumenidum defossa manu, umbrosasque cavernas,
Quæ primum admisêre diem; juvat ire, redire,
Impavidoque gradu tutas calcare ruinas.

---

20. Inscription pour une serre chaude.

Hîc Floram algentem tepidis amplectitur ulnis,
Pomonæque suos Vulcanus servat honores.

C. B.

L'auguste hyménée qui vient d'unir deux Bourbons a été célébré dans toutes les langues. Il nous est impossible de publier la centième partie des vers qui nous ont été adressés à cette occasion. Nous avons distingué trois pièces dont nous devons nous borner à donner des fragmens.

21. Fragmens du *Carmen connubiale*, de M. Bouvet de Cressé, membre de l'université de France, et maître de pension à Paris:

Salve, terra vetus, fœcunda Trinacria, salve,
Quà florent artes, ingeniumque viget!
Felix terra, tibi debetur fœmina princeps
Quam dicat Heroi frater Amoris Hymen.
Optatum Lodoix fœdus videt æthère ab alto;
Sponsis et plaudit, connubiumque probat.
Borbonidûm soboles, invictæ gloria gentis,
Signa dat Henricus maxima lætitiæ.

Regia virgo, tuos regina Lutetia vultus
Ardet et exposcit; publica vota vocant.
Classis adest: tutam propera conscendere navem;
Molliter adducent nobile pondus aquæ.
Jussit amor; patriæ, jàm non tua, littora linque,
Matris et amplexus: omnia vincit amor.
Ah! si noster adhùc, Musæi haud æmulus impar,
Lillius argutum sollicitaret ebur;
Quàm blandè arridens hunc faustum diceret annum,
Albaque sicaniis lilia mixta rosis.

Sed jàm Phocaico classem tenet anchora portu:
Lætitiâ fervent littora Massiliæ.
Advolat intereà princeps, celeri ocyor euro,
Quam fremitu sonipes quadrupedante rapit:
Advolat, et populus per agros, per strata viarum,
Votivas læto promit ab ore preces.

Sponsus amans sponsam videt, exsultatque videndo;
Miratur formam, frontis et omne decus.

Cognatæ Lodoix circumdat brachia collo,
Osculaque ingeminans talia voce refert :
« Edita Borbonidûm regali sanguine princeps,
Dilige me, Gallos dilige, nata, meos. »
Dixerat, et patrium pertentant gaudia pectus ;
Dixerat, et visa est pendula gutta genis.

Æra tonant, reboat repetito fulmine cœlum ;
Majori strepitu regia terra fremit.
Vivat rex ! vivatque diù, vivatque beatus !
Concordes plausus ter data signa cient.

22. Fragmens d'une ode à l'hymen, composée par quatre élèves de troisième, qui, sans épigramme, valent bien un rhétoricien. Ce sont MM. Puech, Quicherat, Magimel et Louveau; le premier du collège royal de Louis-le-Grand, les trois autres de Sainte-Barbe.

Indomitum per sæva ferat discrimina Martem,
Atque cruentatis densantem funera campis
Ferali exhibeat bellatrix carmine Musa :
Nos (ab apollineis ad martia castra vocati
Liminibus, nostrumque infandâ lege cruorem
Longinquis eheu ! jussi profundere in oris,
Ni Lodoix bellum victrici pace fugâsset ;)
Sidere Borbonio tutum nos ducimus ævum :

Molli, Hymenææ, tuos plectro dicamus honores,
Molli, Hymenææ, tuos plectro dicamus amores.

Tu vim pectoribus novisti inferre benignam,
Et teneris palmas vinclis retinere volentes,
Dulcis Hymen ; molles gestas innoxius ignes ;
Tu castis gaudes succendere pectora flammis ;
Tu scis lege potens animos sociare jugali,
Et mitis regnas grato cum jure tyrannus.
Impia Mars cieat certamina : tristibus armis

Horreat; exagitet tædas Bellona nocentes,
Et montes cumulet morientûm montibus : ense
Non valet hostili populos domitare rebelles,
Ut tu, dulcis Hymen, fratris famulante pharetrâ,
Corda vales hominum innocuis domitare sagittis.

Ergò tuas læto dicamus carmine laudes;
Ergò tuos lætâ dicamus voce triumphos.

Sicelides nymphæ, cur cessavêre choreæ?
Fortè quòd è sociis externas migrat in oras
Una? dolor cesset; non illam barbara tellus
Excipit, at Gallos venit invisura vocantes,
Sponsi Nympha decus, Gallorum gaudia Nympha,
Borboniique parat dextræ conjungere dextram.

25. Fragmens d'une pièce de M. Gessiot, élève de philosophie au collège royal de Rennes.

Vos pacem, pueri, pacem celebrate, puellæ;
  Otia, pacato milite, mundus agat.
Horrida quæ populos terrebant arma, silebunt;
  Nec tuba rauca dabit quos dabat antè modos.
Templorum sacris defixi postibus enses
  Relligionis erunt signa, furoris erant.
Agricola incurvo poterit securus aratro
  Jàm non vastandæ credere semen humo.
Multa peregrinas pacata per æquora merces
  Ad portus nostros navis Eoa feret.
Florebunt artes quæ bello ardente jacebant;
  Virtutique suus restituetur honos.
Non incerta cano : pacis manifesta futuræ
  Signa dedit myrto tempora vinctus Hymen.
Ipse accinctus Amor pharetrâ, plaudentibus alis
  Adjuvat augurium pacis, et arma vetat.
Dùm loquor, egregium veniunt ad fœdus amantes,
  Aurea quo terris sæcula rursùs eant.

Ah! tibi Dî tanto pro munere justa rependant!
Nobis perpetuum, Rex bone, carmen eris.
Te neque publica vox, neque te privata tacebit,
Quòd virtute tuâ factus es orbis amor.
Te rupes, te saxa, cavis te vallibus amnes,
Omnis te festâ voce sonabit ager.

---

24. M. Lemaire, l'un des plus chers favoris des Muses latines, a célébré sur la lyre la fête d'un critique fameux, dont les articles, avoués par le goût, sont le fléau de la médiocrité et l'amour des lecteurs. L'auteur était allé respirer l'air natal à Sainte-Ménéhould, ville encore plus fière de son poëte que de ses *pieds*. C'est de là que, pour le jour de la Saint-Jean d'hiver, il a envoyé au redoutable Aristarque du *Journal des Débats* un barbeau et une carpe, avec les vers suivans :

Ad *Joannem* Josephum Dussault.

Plurimus in sancto præcelluit orbe Joannes.
Primus setigerâ velatus pelle, vocabat
Sese deserto vocem clamantis in agro,
Semper inauditus : te nobis magna sonantem
Semper hians vulgus subrectis auribus haurit.
Prædantes bruchos, saltantes ille locustas
Corripere ardebat digitis et dente sequaci;
Austeras epulas : graphio tu pungis acuto
Pungis et occidis, Phœbo plaudente, repulsa
Longè à Pieriis animalcula sordida campis.
Alter piscando vitam tolerare Joannes,
Et laceras tantùm assuetus reparare sagenas,
Antè alios carus Christo, per littora viles
Projecit remos, et virginitatis honorem
Perpetuum vitæ per longa pericula duxit :
Tu carus sociisque simùl blandæque sorori,
Virtutes alias faciles extendis in usus.
Hic rapidos aquilæ surgentis ad astra volatus
Mente sequens, sacro sermone obscura revelat;
Ardentique oleo immersus robustior exit :

Te liquido sparsum Permessi flumine Musæ
Usquè fovent, madidumque suo te nectare pascunt,
Dùm clarâ cycnos imitaris voce canentes.
  Accipe barbatum piscem, fratremque cyprinum,
Quos tibi Porcorum pedibus notissima coctis
Urbs mittit, non empta tuæ convivia mensæ.

---

25. Sur le nouveau bassin du Palais-Royal.

Sub terram, matrem fugiens, hoc ludit in horto
Nympha. Hanc, si possit, servet Diana pudicam.

M.

---

26. La double agonie.

Jàm Stygiam, ut fama est, sitiebat Posthumus undam;
  Ecce gradu accurrit præcipitante Myro:
« Debita solve mihi; neu sit mora: debita solve;
  Solve, inquam: audistin'? Solvere tempus adest. »
Tùm moribundus languescenti voce; « Quid urges?
  Eheu! tranquillum me sine, quæso, mori.
— Tene mori? non sìc fugies, ô pessime: solve.
  Hercule! ni solvas, non moriare sinam.

J. C. GRANCHER,
Montignacensis Gymnasii Moderator.

---

27. Sur la Navigation au moyen des Machines mues par la vapeur de l'eau (voyez page 112).

Olìm Vulcanus Xanthum Simoentaque vicit;
  Nunc ipsum flammis territat Oceanum.
Vulcanum patruo juvat eripuisse tridentem;
  Et, quis credat, aquâ perdomat ignis aquam.

Eugène BARBIER-VÉMARS, fils, Bachelier
ès lettres de l'Université royale.

---

28. L'Arbrisseau, cantate de J.-B. Rousseau mise en vers par M. Dénoyelle, ancien élève du collège du Plessis, qui a obtenu dans une même année, au concours général de l'Université, le prix d'honneur et le premier prix de vers. Le sujet de ces vers était *le Paralytique de l'Evangile*. On trouvera dans le prochain cahier, page 152, cette pièce qui fait le plus grand honneur au talent de M. Denoyelle.

Mollis adhùc arbos, nostri spes læta vireti,
Floræ dulce decus, Vertumni cura faventis,
Ah! fuge blanditias, fuge perfida munera brumæ:
Nulla fides hiemi; deceptas sole doloso
Jàmque ostentantes nova germina comprime gemmas.
Cernis ut incertos Anemone cauta favores
Extimeat; sìc tu Boream sævosque reflatus
Formida sapiens, donec protendat amicam
Flora manum, et vultu faveat Pomona benigno.
Mœsta silet Philomela, timet nova frigora Procne,
Et timidos violæ abscondunt sub gramine vultus.
Alme parens rerum, tua regna revisere tandem,
Phœbe, velis, faciemque tuis ostende serenam;
Pelle procùl victum Boream, tristesque pruinas
Quæ teneros fructus et mollia prata perurunt
Excute; tu nostros solus dominare per agros.
Desolata Ceres tardos sinè fine regressus
Increpat, et cœlum mœrens interrogat altum
An redeas, ut vitali recreata calore
Possit inexhausto depromere munera cornu.
Te pater absentem Bacchus suspirat, et ultrò
Te redeunte parat spumosum fundere nectar.
Hìc ubi purpureo roseum jubar exseris ortu,
Prima triumphali commisit prælia curru;
Sed procùl arctoâ vestigia fixit ab orâ
Frigoris impatiens victor, flammataque virtus
Semper hyperboreis timuit torpere pruinis.

29. Traduction du français de Lebrun.

Cœlia, si librum quis commodet, « Id priùs oro,
Sanctè ait, ut lectu quæque pudenda notes. »
Quàm casta est! — Erras, mirator: Cœlia, novi,
Hoc ait, ut libro sola notata legat.

J. C. GRANCHER, principal du collège de Montignac.

---

30. Traduction de l'épigramme de Rousseau, qui commence ainsi: *Ce monde-ci n'est qu'une œuvre comique.*

Amplum tota patet tellus, quo quisque theatro
Partibus addictis munera jussus obit.
Hîc variâ incedunt per pulpita veste superbi
Pontifices, proceres, altaque turma ducum.
Nos probra intereà nati consumere, vile
Vulgus quod refugit nausea celsa patrum,
Ordinibus spissi pedites consistimus imis,
Grandi turba valens utilitate tamen.
Solvimus, atque rudi si fabula ponitur arte,
Actor post nummos suscipit ore nuces.

J. C. GRANCHER.

Les trois pièces de M. Grancher, que nous avons publiées dans ce numéro, suffiraient pour prouver l'utilité de notre recueil. Qu'il eût été fâcheux d'enfouir à Montignac ces morceaux d'une si bonne latinité, et qui reproduisent si heureusement la vivacité et le tour de Martial!

---

31. Saint-Lambert dit, en parlant de l'hiver:

D'un froid âpre et funeste il pénètre nos sens.
Le soleil lance en vain quelques traits impuissans:
La nuit revient d'abord augmenter la froidure;
Des chaînes de cristal ont chargé la nature.
On n'entend plus le soir la course des ruisseaux;
La cascade muette a suspendu ses eaux:
Le berger qui la voit au retour de l'aurore,
L'observe en écoutant, et croit l'entendre encore.

M. Lizot, de Bernay, rhétoricien au collège de Falaise, a traduit ainsi ces vers de Saint-Lambert.

Aspera hyems penetrat funesto frigore sensus.
Languida jàm frustrà radiorum spicula mittit
Phœbus : nox rediens crescentia frigora ducit.
Naturam stringunt cristallina vincla ; quieto
Vespere nulla sonant rivorum murmura ; mutæ
Lapsus aquæ pendet, durato immobilis arcu :
Cernit ubi pastor, depulsis manè tenebris,
Obstupet auscultans, creditque audire cadentem.

---

52. Un de nos meilleurs poëtes latins s'était chargé de faire la pièce proposée pour ce cahier sur la *Navigation au moyen des Machines à vapeur.* Des circonstances impérieuses l'ont distrait de ce travail. Nous n'avons été prévenus d'un contre-temps si fâcheux que trois jours avant l'impression du numéro : cependant pour ne pas priver les lecteurs d'un morceau qu'ils ont droit d'attendre, nous avons soustrait aux nombreuses occupations qui nous assiégeaient dans ce court intervalle, quelques momens pendant lesquels nous avons composé la pièce suivante. Nous comptons sur l'indulgence qui est due à un travail pour ainsi dire improvisé. La partie technique du sujet offrait des difficultés bien rebelles aux efforts du poëte. Nous avons représenté le moment où M. Andriel vogue de Londres à Paris sur le bateau à vapeur l'*Elise*, le premier qu'on ait vu dans notre capitale. On sait que cette belle invention est due à l'américain Fulton, mort depuis peu, et que sa patrie a honoré d'un deuil public.

Undè repentinis latè clamoribus æther
Concrepuit, vel quid sibi vult concursus ad amnem ?
Imbribus assiduis fluctus irâque tumentes
Sequana præcipiti violentior impete torquet ;
Vorticibusque minax, pleno propè fornice, pontes
Obstruit : adverso subeat nè flumine victrix
Navis, ab externâ regione vaporibus acta,
Quam tota expectat novitate Lutetia gaudens.
Scilicet igniferæ dudùm miracula navis
Sequana, Fultonisque artem, viresque vaporis

Captivi, fluviosque alio sub sole subactos
Audierat : sed fama parùm terrebat, ab oris
Serò allapsa, ferè medio distantibus orbe,
Quà vestiganti patuit nova terra Columbo.
Ast ubi semotos fines teterrima pestis
Attigit Europæ, Thamesisque Britannicus, arte
Infestâ domitus, priscos amisit honores,
Præsensit casus venturos Sequana; sensit,
Decrevitque malo totas opponere vires.
Ab Jove poscit aquas; demittit Jupiter imbres
Perpetuos : alveo fluvius tumet exundanti;
Necdùm securus, centum descendere jussit
Naïadas ad mare, Neptuno mandata ferentes :
« Ipsi vincla Deo, mortalia vincla parari;
« Nè sinat humanos procedere longiùs ausus :
« Sed meritis pereat temeraria cymba procellis. »
Protinùs æquorei præcordia regis amaro
Felle virent : animo clades fraterna recursat,
Jàmque giganteos imitata Columbia nisus,
Quæ fatalem olìm diro tulit impia partu
Franklinium : meminitque virum Neptunus ovantem
Fulmen inerme Jovi vanumque relinquere murmur.
Nunc metuit tellure sati Fultonis eâdem
Insidias; periit Fulto, præcepta supersunt.
Dùm trepidat vecors Deus, ecce Britannia naves
Inter complures in pontum emittit Elisam,
Nudatum remis, malo, velisque phaselum.
Antè alias tamen illa ratis velocior omnes,
Par levibus zephyris, vel missilis æmula teli
Prævolat. È mediâ surgit tubus, undè per auras
Erigitur piceo caligans turbine fumus.
Fossilis intùs alit subjecta incendia carbo,
Impositumque furens amplectitur ignis ahenum :
Huic aqua ferventi paulatìm infunditur ollæ,
Ut sese in subitum solvat tenuata vaporem.
AErea claustra vapor, nondùm frænata potestas,

Immenso nisu perrumperet, olla supernè
In teretem nisi desineret patefacta canalem.
Mobilis hunc totum demenso ex ære cylindrus
Occupat interior, quem summâ impellit in altum
Vi vapor indomitus, tandem erupturus in auras,
Nempè fenestra datur. Propriâ tunc mole cylindrus,
Ære gravis solido, repetit citus ima canalis.
Mox eadem se rursùm oculis spectacula pandunt;
Namque ollæ nova lympha novum creat igne vaporem;
Æreus assurgit rursùm reciditque cylindrus,
Itque reditque viam. Hos motus aptata cylindro,
Ingeniosa rotis solerti machina nexu
Transmittit; celeri rota duplex æquora pulsat
Remigio per utrumque latus, raptatque carinam:
Sic Amphitriten cursu prævertit Elisa.
Explorata diù metuens miracula, magni
Arbiter oceani ventis dat mergere navem
Invisam, sociasque rates. Has prima coegit
Ira Noti quassas ægrè remeare relictos
Ad portus; iter inceptum non mutat Elisa.
Portentum Deus obstupuit; rabidusque severâ
Voce vocat Ventos omnes, omnesque Procellas.
Ventorum undarumque rati, stimulante tyranno,
Ultimus insiluit furor: Illa supervolat undas,
Tranquillique lacûs marmor sulcare videtur.
« Ergò manu nostrâ pereas ipsoque tridente »
Exclamat telum intorquens Saturnius: Illa,
Cuspide tergeminâ pernicior, irrita ridet
Vota Dei, et victâ rabie maris, ostia demùm
Sequanica obstanti nequicquàm flumine, moxque
Reginam ingreditur, cunctis plaudentibus, urbem.

BARBIER-VÉMARS.

7. ÉNIGME.

Sum levior plumâ, lanugine, pulvere, vento:
At ne fœmineum me caput esse putes.
Sæpè, nec immeritò, teneris benè cautus ocellis,
Me quereris, tantâ cum levitate, gravem.
Nomine deberent nostro plerumque vocari
Divitiæ, tituli, gratia, forma, genus.
Me dat, ait Flaccus, malus ex fulgore poeta;
Lucem ex me potiùs, sane poeta, dabis.

B. V.

8. LOGOGRIPHE.

Lector amice, pedes quatuor si jungis eosdem
Ordine dissimili, nomina terna dabunt:
Nomina magna quidem, famâ super æthera nota;
Audi: et quid valeant nomina tanta scies.
Hoc Juno victa expavit; tu, Jupiter, illud
Formidas victus; tertium, Homere, times.

B. V.

9. CHARADE.

Summa placet; pars prima rogat; nocet ima. Verendum
Integra monstro caput; longam trahit ultima caudam.

B. V.

Le mot de la dernière énigme (voyez page 60) est Pes; celui du logogriphe est Sepes, où l'on trouve Pes, et qui, lu à rebours, donne toujours *Sepes*. Le mot de la charade est Cor-nix. Le premier vers de cette charade doit être lu ainsi:

Summa volat; pars prima micat; solet ima jacere.

MISCELLANEA.

3. Florus, dans son Abrégé de l'Histoire Romaine, a resserré, en un petit volume, les annales de sept siècles, sans omettre un seul fait considérable. Son style a de l'énergie et de la précision. On cite comme des chefs-d'œuvre ses deux pages sur la conjuration de Catilina, et sa description de la bataille de Munda plus courte encore. Le morceau suivant ne mérite pas moins d'éloges : la guerre s'allume entre César et Pompée.

Jàm penè toto orbe pacato, majus erat imperium romanum quàm ut ullis externis viribus extingui posset. Invidens Fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit. Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intrà urbem præluserat, quasi experiretur. Syllana tempestas latiùs, intrà Italiam tamen, detonuerat. Cæsaris furor atque Pompeii urbem, Italiam, gentes, nationes, totum deniquè quà patebat imperium, quodam quasi diluvio aut inflammatione corripuit, adeò ut non rectè tantùm civile dicatur, ac ne sociale quidem sed nec externum : verùm potiùs commune quoddam ex omnibus, et plus quàm bellum.

Quippè si duces inspicias, totus senatus in partibus. Si exercitus, hinc undecim legiones, indè duodeviginti, flos omnis et robur italici sanguinis. Si auxilia sociorum hinc gallici ger-

manique delectus; indè totius robur Orientis. Si moram belli, anni quatuor, et pro clade rerum breve tempus. Si locum et spatium ubi commissum est, intrà Italiam; indè se in Galliam Hispaniamque deflexit; reversumque ab Occasu totis viribus in Epiro Thessaliàque consedit; hinc in Ægyptum subitò transiliit; indè respexit Asiam, Africæ incubuit; postremò in Hispaniam regyravit, et ibi aliquandò defecit.

Sed non et odia partium finita cum bello: non enim priùs quievêre quàm in urbe ipsâ, medio senatu, eorum qui victi erant odia sese victoris cæde satiarent.

Causa tantæ calamitatis eadem quæ omnium, nimia felicitas.

RECENTIORUM OPERA.

5. Le *Journal des Débats* du 9 juillet, en annonçant l'émission du second cahier de l'*Hermes*, rappelle que ce nº 4 du cloître Notre-Dame, où est établi le Mercure Latin, est précisément celui de la maison où Héloïse composait, il y a sept cents ans, de si belles lettres latines. On ne lira pas sans attendrissement la réponse qu'elle fit à une lettre par laquelle son mari, désespéré des persécutions dont il était l'objet, lui annonçait qu'il n'avait plus que peu de temps à vivre.

O carissime, quo id animo cogitasti? Quo id ore dicere sustinuisti? Cui consolationis remedium afferre debuisti, desolationem auxisti;

quas mitigare debueras, auxisti lacrymas. Nunquàm ancillulam suam adèo Deus obliviscatur, ut eam tibi superstitem reservet; nunquàm mihi vitam illam concedat, quæ omni genere mortis sit gravior! Te nostras exsequias celebrare convenit.

Parce, obsecro, parce hujusce modi dictis, quibus miseram miserrimam facias. Hoc ipsum quodcumque vivimus, ne nobis auferas antè mortem. Sufficit diei malitia sua; et dies illa, omnibus quos inveniet, satis secum sollicitudinis afferet, omni amaritudine involuta.

Mortis tuæ mentio, mors quædam nobis est: ipsa autem mortis hujus veritas quid, si nos invenerit, futura est? Nunquàm Deus annuat ut hoc tibi debitum superstes persolvam, quod à te penitùs expecto; in hoc utinàm te præcessura, non secutura! Quid autem, te amisso, sperandum mihi superest? O me miserarum miserrimam, infelicium infelicissimam!

---

6. Le plus jeune professeur de la faculté des lettres de Paris; celui qui occupe la chaire d'éloquence française; qui voit les élèves et les maîtres accourir à ses leçons; qui, couvert des palmes de l'université dans le cours de ses études, a remporté, depuis, toutes celles qu'il a voulu disputer dans les concours ouverts par l'académie française; qui, par un rare privilège, n'excelle pas moins dans la poésie que dans l'éloquence; qui, par un privilège plus rare encore, sait réunir à tant de talens l'art de di-

riger habilement une branche importante d'administration publique; mais à qui cette dernière occupation ne permet plus d'enrichir notre littérature : M. Villemain a démontré il y a quelques années, dans un discours latin justement applaudi, que sans posséder la littérature ancienne, on ne peut aspirer à devenir un grand écrivain. En effet, « depuis la renaissance des lettres, les plus heureux génies se sont formés sur les premiers modèles; on ne devient original et nouveau qu'en se couvrant avec art des dépouilles de l'antiquité; et les littératures, même les plus riches, ont besoin de se renouveler dans ces sources inépuisables du vrai et du beau. » M. Villemain a produit une vive impression sur l'assemblée, en confirmant son opinion par ces éloges si précis et si brillans de Corneille, de Racine et de Fénélon.

Ecquis primus inter nos scriptor, maximè in suo genere admirabilis, protulit nova et indicta ore alio ! Surgentem videmus immortalem gallicæ tragœdiæ auctorem Cornelium. Ecce firmo pede ingreditur pulpita, musamque pravis uti vocibus dedocet, ipse insueta et inaudita loquens, creber sensibus, sublimis, acer, magnificus. Undè vis illa divina descendit? Nempè vir excellens ad imitationem antiquitatis conversus, sæculi sui barbariem despexit, melioraque vidit et arripuit. Mox veterum artibus adjutus nova ipse inveniet, novas ex se ipso virtutes efferet, condetque tragœdiæ genus ignotum Græcis, omnes fortè superaturus, nisi vates alter adnasceretur studio veterum pariter innutritus, sed Virgilii potiùs quàm Lucani æmulator.


Hic erit Racinius carminum perfectissimus artifex, qui patrium sermonem quocumquè lubeat, tenerum ac flexibilem ducere consuevit, verbis felicissimè audax, libertatem tegens modestiâ. Virgilianam suaviloquentiam agnoveris. Hæ sunt Virgilianæ dotes in alterum locum translatæ, et quâdam novitatis gratiâ reviviscentes. Hæc est Euripidea lenitas, Sophoclea vis. Flores ex omni antiquitate summus poeta carpsit ac delibavit. Verùm inchoata perfecit, optimis decus addidit, vel in imitando totus suî, dùmque veterum simillimus fieri studet, veteribus par et æqualis evasit.

Quid dicam de libro illo qui Telemachus inscribitur? Quid de illâ eloquendi facultate penè Homericâ et gallici sermonis ad integritatem et incorruptam elegantiam mirum in modum accommodatâ? Quomodò suprà solutam orationem assurgit narrator poetæ finitimus, eâ lege ut nunquàm sit plus æquo grandiloquus, dicendique virtutes eximias nullo vitiorum confinio lædi patiatur! Quàm simplex munditia quodam lepore parcissimè ornata et quasi colorata! At in opere tàm novo, tàm inusitati generis, ubiquè apparent impressa antiquitatis vestigia, et scriptor ideò quod Græcos tantâ solertiâ sit imitatus talem se præbuit, ut ipse nullâ imitatione apprehendi possit et effingi.

CORRESPONDANCE.

1. Lettre d'un Allemand de la rive gauche du Rhin.

Hermes lepidissime, tibi salutem ex Rheni ripâ citeriore per has litteras mittit auditor quondàm Lutetiæ tuus amantíssimus. O miram rerum immutationem! Quem Gallum Gallus erudiisti, nunc Romanus Germanum legis. Ubi fama mihi attulit latinum facinus audacissimum à te et inchoatum et perpetratum fuisse, somno prorsùs carui donec libellum tuum acciperem. Acceptum legi, bibi, hausi; accensâque lucernâ alter Diogenes homines per urbis nostræ compita quæsivi: at Sinopeo cynico felicior tres inveni, medicum scilicet, causidicum et poetam. Hi opus tuum luculentissimum, menstruam ambrosiam, sibi mitti rogavêre. Indè me ad forum contuli, plenus bonæ spei, et quasì sexcentos pisces in retia tua conjecturus. Et procùl, « Adeste, clamavi, Mercurium vobis affero. » Illicò ad me catervatìm confluere mensarii, negotiatores, argentarii, mercatores, pararii, proxenetæ. « Da, inquiebant, da vafrum ac solertem Deum qui nobis quæstum quotidianum quaquâ arte augeat. » Hìc ego: « Mene credidistis, cives, Deum vobis attulisse prædonem ac furacissimum, sordido quæstui unicè intentum, frau-



dum artificem, et cruce quàm thure digniorem? Absit ut istam auri sitim, quâ laboratis omnes, velim incendere! Hic Mercurius quem ostendo, vera Jovis soboles, præest eloquentiæ; Hermes apud græcos vocatus est, imò et Trismegistus, id est, ter maximus: nàm..... » Plura dicturus, sensi dilapsos omnes ad solitum fœnus rediisse. O mores! Vale.

F. D. L.

2. *Réponse.*

Quòd me amas, ingenue et optime adolescens, quòdque mihi faves, vehementer gaudeo. At me perperàm amas, mihi pravè faves, quum libellum nostrum obtrudis negotiatoribus negotiantibus. Parùm dextro tempore Musas in forum exsibilandas induxisti; quam vocas ambrosiam, quibusdam palatis mera vappa est. Mercatores multi pejorem sanè Mercurium colunt: nè tamen arbitreris illam vitæ sectam ab humanioribus litteris esse omninò alienam. Lectorum nostrorum nomenclaturam inspice; decimum quemque ordini negotiatorum accensebis. Vale.

B. V.

---

3. De Juilly, 18 juillet 1816.

Siccine, Mercuri, rationes edis tuo Jovi parùm accuratas? Tene ipsum nescire quas animas aureâ virgâ nigro compuleris gregi? Fenelonis illum latinum interpretem, quem

celebras non doctrinâ minùs quàm omni virtutum genere nobilem, nondùm in Elysios hortos traduxisti, Hermes optime, ut superiore libello nuntiabas. At fortè, lethæo liquore uvidus, illud funus somniasti quo extinxisti facem illustrissimæ vitæ etiamnùm vividam. Quod Caduceo rupisti stamen, nondùm forficibus violavit Atropos. Vivit adhùc, vivetque diù vir doctissimus Stephanus Alexandre-Viel, in academiâ Juliacensi studiorum olìm moderator. Vivit, et te mavult vivus legere (quem libenter legit) quàm mortuus comitari. Cave nè tu, dùm hic Amphitrites currum tam scitè, tàm venustè, tàm eleganter nobis dèpingit, optimum poetam ferali cymbâ per stygiam vehas paludem. Vale tu quidem, at sine illè quoque valeat.

Les deux premiers numéros de l'*Hermes* ont assuré le sort de cet ouvrage. Il est déjà répandu sur tous les points de la France et dans les divers états de l'Allemagne. Les matériaux affluent avec une abondance bien propre à démentir ceux qui soutiennent que le goût de la littérature ancienne est éteint. On jugera de cette abondance par notre profusion : nous donnons dans ce troisième numéro quatorze pièces de vers inédites. Nous remercions les amis des lettres qui les premiers ont souri à notre audace, et dont la confiance a secondé nos efforts. Nous remplissons nos devoirs avec zèle, parce qu'une passion vive nous anime; nous les remplirons toujours parce que l'amour des Muses est un feu dont le temps ne peut qu'accroître l'ardeur.

HISTORIETTES. BONS MOTS.

21. La cravatte de dentelle.

Mos olim apud Anglos nobili loco natos invaluerat, ut nemo, inter cœnandum, matronæ cuilibet posset propinare, quin, hujus ergo, re quâpiam quam igne statim cremaret, semet ipsum orbare cogeretur. At reliqui convivæ, sexûs honori non minùs tribuentes, eamdem pati jacturam qualemcumque, scilicet eamdem rem flammis abolere debebant. Die quodam Carolus Sedley, patricius juvenis, luxurioso cultu nitidus, cæsitium è texto denticulato, maximi quidem pretii sed artificii majoris, collo circumdederat. Sic ornatus quùm fortè incidisset in sodales aliquot suos ad collatitiam cœnam properantes, bellos homunculos haud ægrè est secutus. Unus ex his, sublato in matronæ cujusdam honorem poculo, cæsitium levis admodùm pretii, à collo suo revolutum, illicò combur it. Exemplum sequi omnes, ex more, non sine ingenti cachinnorum procellâ. « Jocus iste vester sanè haud inficetus est; sedatissimè ait Carolus urens tale cimelium, verùm facetior aliquis poterit excogitari. » Posterâ nocte iidem ad repotia convenêre, quàm simplicissimo cultu ornati, quò leviore dispendio paratam perferrent ultionem. Ca-

rolus fœminæ non ignobili propinat; arrectisque in expectationem omnibus, chirurgum ferreâ supellectili instructum, quem secum adduxerat, introduci jubet. Statìm ipse, rejecto in cathedram corpore semisupinus, rictum subjicit homini; qui corruptum dentem, veterrimi doloris causam, facilè eximit. Evulsum Carolus prunis ardentibus injicit. Ibi omnes, cruenti forficis conspectu territi, horribilem cruciatum deprecari; legis molliendæ necessitatem causari; cæsitii jacturam se vel auro vel denticulato opere abundè pensaturos polliceri. Verùm irritæ preces cecidère. Quum singuli, frigido metu penè exsangues, rimantem ossa dentarpagam, ore fœdissimè distorto, paterentur: « Sodales festivissimi, perquàm sedatè ait Carolus, vester quidem jocus fuit haud inficetus, sed facetior aliquis excogitari potuit. »

22. L'expression adoucie.

Antonium è natali pago Lutetiam pater parùm cautus miserat, meliori fortunæ inhians. Juvenis cùm adolescentibus, ut fit, ad omne vitiorum genus pronis junxit consuetudinem, vitamque in aleâ, popinis et lustris consumpsit. Amissâ pecuniâ, et perdito simùl pudore, Antonius æruscatoris partes agere; notos, ignotos argento emungere; mox furtis quæstum sibi facere; demùm vias apertis la-

trociniis infestas habere. Quid multa? Comprehenditur, suâ confessione induitur, tortoribus traditur, et potiorem reginâ urbe pagum moriens reminiscitur. Cujus pagi Curio, quùm ossa curialis quondàm sui à carnifice fracta esse comperisset, paganis die Dominicâ in templo ex more congregatis, rem nuntiat molliùs, sacram prælectionem his verbis claudens : « Orabimus quoque, Fratres, pro Antonio populari nostro, qui Lutetiæ obiit ex vulneribus. »

23. Le prisonnier de guerre.

Johannes et Christophorus, ambo milites, nocte quâdam caliginosissimâ, sociis amissis, aliquo inter se discreti intervallo, incertum iter tenebant. Repentè Johannes clamitat : « Christophore, Christophore, unum ex hostibus cepi. — Beasti, inquit Johannes, duc ad me captivum. — Næ ego ducerem, si duci vellet. — Atqui sine hominem, et veni. — At at captivus non vult me dimittere.

24. Exploit d'une vieille.

Fur, dormientis anûs perfracto tuguriolo, rerum singula per fenestram forinsecùs sociis rapienda dispergebat. Quùmque jàm cætera emolitus, ne toro quidem aniculæ quiescentis parcere vellet, eâque lectulo devolutâ, vestem stragulam ac lodicem jactare similiter

destinaret, genibus ejus profusa mulier sic deprècatur : « Quid, oro, fili, paupertinas pannosasque reculas miserrimæ anûs donas vicinis divitibus, quorum hæc fenestra domum prospicit ? » Ille deceptus astu, verens scilicet nè et ea quæ priùs miserat et quæ posteà missurus foret, non sociis suis sed in alienos lares abjiceret, suspendit se fenestrâ, sagaciter perspecturus omnia; præsertìm domûs attiguæ fortunas arbitraturus. Quod eum strenuè quidem sed satìs improvidè conantem, anus, quanquàm invalido repentino tamen et inopinato pulsu, nutantem ac pendulum, et in prospectu alioquin attonitum, deturbavit. Fur, perfractâ diffissâque crate costarum, rivos sanguinis vomens, non diù cruciatus, animam efflavit.

25. La chape courant les rues.

Sacerdos quidam receperat mediocrem summam pecuniæ, sed argenteæ. Id fur aliquis cùm animadvertisset, quasi fortè obvius, adiit sacerdotem, qui gestabat in zonâ crumenam nummis turgidam. Salutat civiliter; narrat sibi datum negotium à suis, ut vici sui parocho mercaretur novam trabeam, quæ summa vestis est sacerdoti rem divinam peragenti. Rogat hâc in re commodaret sibi tantillùm operæ, ut secum iret ad eos qui vendunt hujusmodi pallia, quò videlicet majus aut minus sumeret ex modo

corporis ipsius; nàm sibi videri staturam ipsius cum parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium cùm leve videretur, facilè pollicitus est sacerdos. Adeunt ædes cujusdam. Prolatum est pallium. Sacerdos induit, venditor affirmat mirè congruere. Fur, cùm nunc à fronte nunc à tergo contemplatus esset sacerdotem, satis probavit pallium; sed caussatus est à fronte brevius quàm par esset. Ibi venditor, ne non procederet contractus, negat id esse pallii vitium, sed crumenam turgidam efficere ut eâ parte offenderet brevitas. Quid multa? Sacerdos deponit crumenam; denuò contemplantur. Ibi fur, averso sacerdote, crumenam arripit, ac semet in pedes conjicit. Furem insequitur cursu sacerdos et sacerdotem venditor. Sacerdos clamat : « Tenete furem. » Venditor clamat : « Tenete sacerdotem. » Fur clamat : « Cohibete sacerdotem furentem. » Et creditum est, cùm viderent illum sic ornatum in publico currere. Itaque dùm alter alteri in morâ est, fur effugit; dignus qui non simplici suspendio pereat tantus artifex!

Le conte suivant est extrait des métamorphoses d'Apulée. On y remarquera un fort beau discours, au neuvième paragraphe.

NOCTES FABULOSÆ.

CHARITE.

1. Charite épouse Tlépolème. Jalousie de Thrasylle.

Erat juvenis natalibus prænobilis, equo clarus, et pecuniâ simùl satis locuples; sed luxuriæ popinalis, Thrasyllus nomine. Hic, quùm primùm Charite, virgo eximiæ pulchritudinis, nubendo maturuisset, inter præcipuos procos, summo studio petitionis ejus munus obierat. Et quamvis cæteris omnibus genere antestaret eximiisque muneribus parentes invitaret, judicio morum tamen improbatus, repulsæ contumeliâ aspersus fuerat. Puella in Tlepolemi, nobilissimi et optimi viri, manum venerat.

Thrasyllus delapsum firmiter nutriens amorem, et denegati thalami permiscens indignationem, quanquàm facinus parabat, amici fidelissimi personam mentiebatur, inter præcipuos hospites domum Tlepolemi receptus. Jàmque sermonibus assiduis, et conversatione frequenti, nonnumquàm cœnâ poculoque communi, carior cariorque amico erat factus.

2. Chasse au sanglier.

Die quâdam venatum Tlepolemus, assumpto Thrasyllo, petiit, indagaturus feras, si quid tamen in capreis feritatis est : neque enim Charite maritum suum quærere patiebatur

6**

bestias armatas dente vel cornu. Jàmque apud frondosum tumulum, canes generosæ ad bestiarum indaginem immittuntur; statimque solertis disciplinæ memores, partitæ totos præcingunt aditus; et tacitæ priùs, dato repentè signo, latratibus fervidis miscent omnia.

Neque ulla caprea, nec cerva, sed aper immanis exsurgit, toris callosæ cutis obesus; pilis inhorrentibus corio squalidus; setis insurgentibus spinæ hispidus; dentibus attritu sonanti spumans; oculis aspectu minaci flammeus; impetu frementis oris fulmineus.

3. Thrasylle songe à perdre Tlépolème.

Et primùm quidem canum procaciores, quæ cominùs contulerant vestigium, genis hàc illàc jactatis, consectas interficit. Deindè calcata retia, quà primos impetus reduxerat, transabiit. Tunc Tlepolemi famuli omnes pavore deterriti et alioquin innoxiis venationibus consueti, inscendere arbores et tegumentis frondium abscondi.

Thrasyllus verò nactus fraudium occasionem, sic amicum compellat: « Quid stupore confusi, vel etiàm cassâ formidine servis istis similes, et fœmineo pavore dejecti, tàm opimam prædam mediis manibus amittimus? Quin equos inscendimus? Quin ocyùs indipiscimur? Et cape venabulum, et ego sumo lanceam. » Nec tantillùm morati, protinùs

insiliunt equos, summo studio bestiam insequentes. Nec tamen illa genuini vigoris oblita retorquet impetum; et incendio feritatis ardescens, utrum priorem insiliat rimatur.

4. Il l'assassine cruellement.

Tlepolemus jaculum, quod gerebat, insuper dorsum apri contorsit. At Thrasyllus, equi quo vehebatur amicus postremos poplites, lanceâ feriens amputat. Quadrupes toto tergo supinatus, dominum suum devolvit ad terram. Ecce furens aper invadit primò lacinias ejus; post, ipsum resurgentem multo dente laniat. Tlepolemum jacentem et auxilium miseriter rogantem Thrasyllus lanceâ conficit; mox ipsam bestiam facili manu transadigit.

Ad hunc modum defuncto juvene, exciti latibulo quisque suo famuli concurrunt. Thrasyllus vultu gaudium tegit et dolorem simulat. Cadaver, quod ipse fecerat, avidè amplexatus, omnia quidem lugentium officia finxit; sed solæ lacrymæ procedere noluerunt.

Intereà fama dilabitur, et cursus primos ad domum Tlepolemi detorquet, et aures infelicis nuptæ percutit. Quæ quidem simùl atque talem percepit nuntium, amens et vecordià percita, cursuque bacchata furibundo, insanâ voce casum mariti queritur. Confluunt civium mœstæ catervæ; sequuntur obvii omnes dolore sociato. Super mariti corpus Cha-

rite, labanti spiritu, totam se effundit, et ægrè manibus eripitur suorum.

5. Thrasylle laisse percer son secret.

Funus verò, totò feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam. Thrasyllus clamare, plangere, et multis caritatis nominibus veritatem ipsam fallere; illum amicum, coætaneum, contubernalem, fratrem denique, addito nomine lugubri, ciere. Officiis inferialibus statìm factis, vidua ad maritum suum festinat demeare; cunctasque prorsùs pertentat vias. Sed Thrasyllus luctum ejus sedat; ejulatum coercet; verbis palpantibus stimulum doloris obtundit; variis exemplis nectit casûs solatia; denique instantià pervicaci, partìm per semetipsum, partìm per cæteros familiares ac necessarios, per ipsos denique puellæ parentes, extorquet tandem, ut membra, jàm lurore et illuvie penè collapsa, lavacro et cibo foveat.

Charite invita quidem viventium munera obiit, sed luctu ac mœrore carpebat animum; dies totos totasque noctes insumebat luctuoso desiderio, aut ipso sese solatio cruciabat. Thrasyllus verò præceps et temerarius adhùc flentem, adhùc vestes lacerantem, adhùc capillos distrahentem, non dubitavit de nuptiis convenire, priusquàm dolorem lacrymæ satiâssent, priusquàm percitæ mentis resideret

furor, et in sese nimietatis senio flaccesceret luctus. Sic ille impudentiæ labe, tacita pectoris sui secreta, fraudesque detexit.

6. Un songe achève de le révéler à Charite.

Charite vocem nefandam et horruit et detestata est. Velut ipso fulmine percussa, collabitur: sed, revalescente paulatim spiritu, ferinos rugitus iterat, fœdum pessimi Thrasylli facinus perspiciens.

Illâ ipsâ nocte, Umbra Tlepolemi cruenta, et pallore deformem attollens faciem, quietem pudicam interpellat uxoris, omnemque scenam sceleris illuminat. At Charite neminem nocturnarum imaginum facit participem; et indicio facinoris prorsùs dissimulato, nequissimum percussorem punire decernit.

7. Elle veut punir elle-même le meurtrier.

Ecce rursùs improvidæ voluptatis detestabilis petitor proponit nuptias. Illa clementer aspernata sermonem Thrasylli, « Adhùc, inquit, mariti mei facies in meis versatur oculis, in meo vivit pectore. Legitimo luctui miserrimæ fœminæ necessarium concede tempus, quoàd residuis mensibus spatium reliquum compleatur anni. » Neque isto sermone sedatus Thrasyllus, vel saltem tempestivâ pollicitatione recreatus, identidem pergit susurros improbos ingerere; donec simulanter victa Charite clandestinum promittit collo-

quium. « Heus tu, inquit, sedulò veste contectus, omnique comite viduatus, hâc nocte fores meas tacitus accedas; unoque sibilo contentus, nutricem istam meam opperiare, quæ, claustris adhærens, excubabit adventui tuo. Eadem patefactis ædibus, acceptum te, nullo lumine conscio, ad meum perducet cubiculum. »

8. Thrasylle tombe dans le piége qui lui est tendu.

Placuit Thrasyllo conditio. Expectatione turbidus de diei tantùm spatio et vesperæ morâ querebatur. Sed ubi sol tandem nocti decessit, veste sedulò involutus, et nutricis captiosâ vigiliâ deceptus, irrepit cubiculum pronus spei. Tunc anus, de jussu dominæ, blandiens ei, furtìm depromptis calicibus et œnophoro, quod immixtum vino soporiferum gerebat venenum, crebras ingessit potiones. Ille avidè et securè hauriens, quùm nutrix mentiretur dominæ moram, quasi matri ægrotæ assideret, facilè sepultus est ad somnum. Jàmque eo ad omnes injurias exposito ac supinato, introvocata Charite masculis animis invadit sicarium.

9. Charite savoure sa vengeance.

« En, inquit, fidus conjugis mei comes; en venator egregius; en carus maritus. Hæc est illa dextera quæ meum sanguinem fudit; hoc pectus quod fraudulentas ambages in

meum concinnavit exitium. Oculi isti, quibus malè placui, jàm futuras tenebras auspicantur, et venientes pœnas antecedunt.

« Quiesce securus, beatè somnia. Non ego te gladio, non ferro petam. Absit ut velim simili mortis genere cum marito meo coæqueris. Vivo tibi morientur oculi. Faxo feliciorem necem inimici tui quàm vitam tuam sentias. Lumen certè non videbis; manu comitis indigebis; Charitem non tenebis; nuptiis non fruêris; nec mortis quiete recreaberis, nec vitæ voluptate lætaberis: sed incertum simulacrum errabis inter Orcum et solem. Ad ego sepulcrum mei Tlepolemi tuo cruore litabo, et sanctis Manibus ejus istis oculis parentabo.

« Sed quid moror? Meos forsitàn tibi pestiferos imaginaris amplexus. Relictis somnolentis tenebris, ad aliam pœnalem evigila caliginem. Attolle vacuam faciem; vindictam recognosce; ærumnas computa. Sìc pudicæ mulieri tui placuêre oculi. Ultrices habebis pronubas, et orbitatem comitem, et perpetuum tuæ conscientiæ stimulum. »

10. Fin tragique de Charite et de Thrasylle.

Ad hunc modum vaticinata mulier, acum crinalem capite depromit, et Thrasylli dormientis convulneratis luminibus, eum relinquit prorsùs exoculatum; statìmque arrepto nudo gladio quo se Tlepolemus solebat accin-

gere, per mediam civitatem cursu concito se proripit et ad monumentum mariti contendit.

At Charites nutrix perterrita omnem familiam ciet clamoribus. Cuncti armatam mulierem studiosè consequuntur; cuncti ferrum volunt vesanis extorquere manibus. Sed illa, jàm monumentum ingressa, gladioque fulgenti singulos abigens, ubi fletus uberes et lamentationes varias adstantium intuetur, « Abjicite, inquit, luctum meis virtutibus alienum. Ulta sum mei mariti cruentum peremptorem; punii funestum mearum nuptiarum prædonem. Jàm isto gladio ad meum Tlepolemum viam quæram. » Et enarratis ordine singulis quæ sibi per somnium nuntiaverat maritus, et quo astu Thrasyllum inductum petiisset, ferro in cor ipsum transadacto corruit, et perefflavit animam virilem.

Tunc properè familiares miseram fœminam, ablutam accuratissimè, unâ sepulturâ ibidem marito perpetuam conjugem dedêre. Thrasyllus verò, cognitis omnibus, certus tanto facinori ne gladium quidem sufficere, ad idem sepulcrum duci se rogat, « Ultronea vobis, infesti Manes, en adest victima » sæpè clamitans: valvisque super sese diligenter obseratis, inediâ statuit elidere suâ sententiâ damnatum spiritum.

FELES EMUNCTÆ NARIS,

SIVE FELES EΥΚΝΗΜΙΣ,

ID EST BELLÈ OCREATA.

Le Maître Chat, ou le Chat botté, est un des plus jolis contes de Perrault. M. Andrieux, de l'académie française, l'a mis en latin. On trouvera tout simple que l'auteur des *Etourdis* ne soit pas étranger à la langue de Térence et de Plaute. Cette traduction a été faite pour amuser des enfans auxquels on enseignait le latin.

1. Le Maître Chat forme, à lui seul, un lot d'héritage.

Pistrinarius quidam moriens tribus suis filiis reliquerat modicas opes, pistrinum scilicet, asellum et felem. Haud longa fuit hæreditati dividendæ mora; caverunt fratres ut avida gens tabellionum et pragmaticorum abesset, à quibus citiùs devorata fuisset patrimonii exiguitas. Maximus natu pistrinum habuit; alter suum fecit asellum; tertio feles tantùm obtigit.

Hic se ipsum consolari nequibat, qui tantulam hæreditatis partem sortitus fuisset : « Fratres mei, inquiebat, dùm societatem inter se ineant, sustentare vitam poterunt honesto quæstu; mihi verò, postquàm meam comedero felem, et ex illius pelle manicam hibernam confecero, fame et inopià pereundum erit. »

2. Il se botte.

Quæ quùm audiisset feles, quanquàm auribus nihil accepisse et aliud agere consultò simulabat, sic herum compellavit vultu serio et gravi: « Here mi, quæso, ne plus æquo doleas; sed cura tantùm ut mihi detur saccus et consuantur ocreæ, quarum ope possim per dumos, salvis tibiis, vagari; et jamjàm cognosces te in hâc hæreditatis partitione non omninò fuisse læsum. »

In his verbis herus parùm posuit fiduciæ, quamvis sæpiùs vidisset felem innumeris artibus et dolis ad capiendos mures ac sorices callidè et feliciter usam, sive se è laqueari pendulo capite demitteret, sive se in farinâ tanquàm mortuam sepeliret: aliquid tamen indè sibi fore auxilii egenus juvenis non desperavit.

Ubi prompta fuêre quæ feles petiverat, sese subdola strenuè ocreavit, ac demisit è collo saccum cujus funiculos pedibus anticis retinebat. Sic composita, et vivarium quoddam ingressa cuniculis refertum, furfurem et sonchos hianti sacco ingessit; ergò se humi sternens, velùti exanimem, expectabat donec aliquis junior cuniculus, rerum hujusce vitæ ac fraudum inscius, ciborum nidore in saccum illiceretur. Vixdùm erat in excubiis, quùm illius malignam spem non fefellit exitus; quidam enim inconsultus et petulantior cuniculus saccum in-

gressus est. Astuta verò feles, funiculis simùl adductis, excepit incautum, et necavit illicò.

3. Il se présente à la cour; il y réussit.

Prædâ superbiens feles, rectà ad regias ædes pergit, rogatque ut sibi regem adire liceat. Introducta in remotius cubiculum, post plurimas et obsequiosissimas salutationes : « Rex invictissime, inquit, hunc tuæ majestati cuniculum, munus amoris et fidei indicium dominus marchio à Carabas (nam hoc hero nomen affingere feli collibuit) per me è suo mittit vivario. — Hero tuo renuntia, respondit rex, hoc mihi munus videri acceptissimum, et me ipsi cumulatè gratias agere.

Rursùs in altâ et luxurianti segete sese occultavit feles, saccum tenens apertum; quem quùm par perdicum intrâsset, funiculos properè strinxit, et unà duas sibi habuit. Captas regi obtulit eodem modo quo cuniculum obtulerat. Perdices quoque rex accepit libenter, et jussit aliquot ex ærario suo feli nummos erogari, undè largitionis memor lætè potitaret. Sic duobus aut tribus mensibus prædam venaticam ab hero, ut prædicabat, exceptam regi vafra feles subindè dono dare non omittebat.

4. Il crée un marquisat.

Quâdam autem die, quùm audivisset regem in fluminis ripâ deambulaturum cum filià, regiarum virginum longè speciosissimâ, sic

herum commonuit : « Siquidem nostro consilio uti volueris, amplissimam rem tuam feceris. I tantùm lavatum in eà fluminis parte quam tibi monstravero, et meo arbitrio permitte cætera. » Marchio felis dicto obediens fuit, quanquàm ignorabat quorsùm res evaderet.

Dùm lavabat, rex illàc forte transiit; statìm feles voce maximà clamitare cœpit : « Adeste, adeste, cives ; ferte opem, ferte auxilium, dominus marchio à Carabas aquis præceps rapitur. » Quibus clamoribus excitus rex è rhedâ caput protulit, et agnitâ fele quæ sibi toties munera venatoria adportaverat, imperavit ut corporis sui custodes quàm celerrimè marchioni subvenirent.

Dùm ab aquis uvidus retrahebatur, feles ad rhedam accedens narrat regi heri lavantis vestes à latronibus fuisse subreptas, etsi totâ voce « Tenete fures, tenete fures » clamaverat : reverà eas saxo occuluerat clanculùm.

5. **Il met le marquis sur un bon pied.**

Rex statìm jussit à vestiarii sui ministris, unam è suis ipsius splendidissimam tunicam afferri, quâ indueretur nobilissimus marchio à Carabas ; plurimaque addidit amoris in eum et benevolentiæ indicia. Vestium nitor juveni, ut erat facie eximiâ et formâ eleganti, tantùm decoris et venustatis conciliavit, ut virgini regiæ admodùm placeret ; in quam

simùl atque marchio, cum summâ quidem reverentiâ, nec non cum quâdam amoris significatione bis terve oculos conjecit furtìm, puella eum perditè adamavit. Pater marchionem ascendere regiam rhedam voluit, ambulatiunculæ comitem.

Feles exultans quòd consilium suum tàm feliciter succedere inciperet, celerrimo cursu rhedam prævertit; et quùm incidisset in quosdam rusticos pratum cædentes, « Heus, inquit, rustici qui pratum cæditis, nisi dixeritis regi hoc pratum esse domini marchionis à Carabas, quotquot estis, frustillatìm in minutal omnes concidemini. »

6. Il répand la terreur.

Rex circumspectans rusticos interrogavit cujusnam esset pratum quod cæderent: « Domini marchionis à Carabas, » extemplò omnes unâ voce exclamaverunt; nàm felis ocreatæ minis fuerant vehementer perterriti. « Næ tu, inquit rex, pingui prædio frueris.—Satis pingui, ut cernis, retulit marchio; hoc pratum valdè herbiferum, et magni reditûs quotannis est.

Intereà feles, usque præcurrens, messoribus obiter inventis « Heus, inquit, rustici qui agrum metitis, nisi dixeritis regi totam hanc segetem esse domini marchionis à Carabas, quotquot estis, frustillatìm in minutal omnes concidemini. »

Neque multò post rex transiit, et percontatus est ex messoribus, cujusnam esset tam læta seges; « Domini marchionis à Carabas, » responderunt messores: et iterùm rex marchioni gratulatus est.

7. Il joue de ruse avec un ogre.

Rhedam prægressa feles obvium quemque territando ad idem cogebat responsum, ità ut tot et tantas opes marchionis à Carabas rex obstupesceret.

Tandem pervenit feles ad nobile quoddam castellum, cujus dominus erat giganteâ proceritate quidam Pædophagus, peritus artis magicæ, et pædophagorum longè ditissimus; omnes enim agri quos rex pertransiverat illius castelli dominio serviebant. Feles sedulò sciscitata quisnam esset iste magus, et quibus artibus valeret, rogat ut sibi liceat ipsum adire; præfata scilicet se juxtà castellum iter facientem officii sui duxisse, ut dominum inviseret atque reverentissimè salutaret. Magus felem, tàm urbanè quàm in monstrum cadit exceptam, apud se quiescere jussit.

8. Il ne fait de l'ogre qu'un coup de dent.

« Mihi à nonnullis, inquit feles, affirmatum est tibi eam inesse facultatem quâ teipsum in omnes animantium formas immutare possis, ità ut repentè fias, verbi gratiâ, sive leo, sive elephantus. — Vera prædicant, respondit magus

voce asperâ; et, ut credas oculis, leonem me conspicito. » Ità præsentem feram expavit feles ut ad tecta celeri fugâ se proriperet, non sine labore et periculo, quùm ocreæ prohiberent nè per tegulas secura figeret vestigia.

Mox quùm videret magum ad priorem formam rediisse, descendit feles, et pavorem confessa: « Mihi rursùs narraverunt, inquit, et hanc fabulam omninò incredula audivi, te etiàm minimorum animalium corpora, prout libet, induere, videlicet muris, imò soricis; equidem fateor hoc mihi extrà vires magicas omnes visum esse, et etiàm nunc videri. — Nostrasne extrà vires, ait ille? Jàm rem compertam habe: » et statim conversus in soricem, per cubiculi tabulatum cœpit cursitare. Quem subitò feles insiliens dentibus arreptum necavit, voravitque.

9. Il pourvoit le marquis d'une riche dotation.

Intereà rex transiens quùm tàm spectabile castellum animadvertisset, ingredi voluit. Feles, audito strepitu rhedæ per arrectarium pontem devectæ, regi obviàm properat, et « Auspicatissimè, ait, tua majestas hoc ingreditur castellum domini marchionis à Carabas. — Papæ, ô marchio, exclamavit rex, hoccine quoque castellum tuum est? Nihil usquàm potest conspici pulchrius hâc areâ, et omnibus ædificiis quibus area cingitur. Interiores ædes, si per te licet, exploremus. »

Marchio regiæ virgini manum porrexit, et regem secutus est qui prior incedebat. Magnum cœnaculum intraverunt ubi lautas invenerunt epulas quas Pædophagus amicis compluribus paraverat, qui eà ipsâ die vocati castellum intrare non ausi fuerant, cùm regem adesse rescivissent.

10. Il l'élève au rang de prince, et lui-même devient grand seigneur.

Rex denique egregiis marchionis dotibus valdè commotus, nec non filiæ amori indulgens, quæ procum deperibat, ratione item habitâ tot et tantarum divitiarum quibus marchio affluebat, postquàm quintum vel sextum vini poculum hausisset, « Mi marchio, ait, si gener meus esse velis, per me non stabit quominùs id fiat. » Tantum honorem, plurimis salutationibus gratum animum testatus, arripuit marchio, et antè noctem regis filiam uxorem duxit.

Feles inter optimates regni adscripta, soricibus deinceps nusquàm insidiata est, nisi ut genio indulgeret.

Matières de vers proposées pour le numéro du premier octobre.

1°. Le marché aux chevaux.

2°. Epigramme contre la pêche à la ligne.

# HERMES ROMANUS,

OU

MERCURE LATIN.


N° 4. — 1er Septembre 1816. — Tome I.

L'HERMES est publié le premier de chaque mois, à commencer du premier juin 1816, par cahiers de 48 pages in-12. Le prix de l'abonnement est de QUINZE FRANCS par an, pour la France, et de VINGT FRANCS pour les pays étrangers, port franc par la poste. On ne peut souscrire que pour l'année entière, à Paris, rue du Cloître Notre-Dame, n° 4. On s'abonne aussi chez tous les Libraires et les Directeurs de poste de l'Europe. Les lettres non affranchies resteront au rebut.

VETERUM CARMINA.

7. Tibulle, dans la 1re élégie du 1er livre, célèbre la médiocrité, et le bonheur de la vie champêtre.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
  Et teneat culti jugera multa soli;
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
  Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
  Dùm meus exiguo luceat igne focus.
Non ego divitias patrum, fructusque requiram
  Quos tulit antiquo condita messis avo:
Ipse seram teneras maturo tempore vites
  Rusticus, et facili grandia poma manu.
Nec tamen interdùm pudeat tenuisse bidentem,
  Aut stimulo tardos increpuisse boves.



Agna cadet Divis, quam circùm rustica pubes
Clamet : Io messes et bona vina date.
Adsitis, Divi; nec vos è paupere mensâ
Dona, nec è parvis spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primùm confecit agrestis
Pocula de facili, composuitque luto.
At vos exiguo pecori, furesque, lupique
Parcite; de magno est præda petenda grege.

RECENTIORUM CARMINA.

33. Notre quatrième cahier paraît le premier jour de septembre, de ce mois pendant lequel tout Paris se porte aux fêtes de Saint-Cloud. Ceux qui vont admirer les belles cascades qui ornent ce lieu enchanté, éprouveront sans doute un double plaisir après avoir lu les vers que le père Commire, jésuite, a composés sur ce sujet sous le titre de

THEATRUM NAIADUM.

Description du lieu de la scène.

Quà mons supinus molle submittens jugum
Descendere in planum incipit,
Surgit theatrum, nobilis fabri labor,
Luxu superbum regio:
Circùm coruscâ sylva frondet æsculo,
Scenamque mobilem facit.
Utrimque conchæ, vasa, sculptæ imagines
Longo renident ordine.
Et junctus auro marmoris tersi nitor
Auget laboris gratiam.

Gerbe d'eau au sommet de la colline.

Sed dùm apparatûs tanta nos miracula
Stupore defixos tenent,
Signum dedit de montis alto vertice
Naïs maniplum ventilans.

Crevisse aristis spiceam nutantibus
    Repentè messem crederes.
Vicina signo nympha respondet pari :
    Strepensque bissex fistulis,
Per antra passìm dormientes excitat
    Gravi sorores murmure.
Illæ ire properant nota per divortia
    Crystallino leves pede.
Simùl molestis liberas frænis aquas
    Per mille ducunt alveos :
Quàcumque prono se reclinantem jugo
    Montem coronant ilices.
Nemus omne rivis manat; et lotum ubere
    Frondescit imbri pulchriùs.

Formes diverses.

Mira offeruntur interìm spectacula,
    Oculosque hiantes detinent.
Tot in figuras blandus obsequi latex
    Verti per artem se sinit.
Hîc lævis et profusus æquali agmine
    Stantique similis labitur;
Volucresque rerum mobili speculo accipit
    Redditque formas vitreus.
Tumultuoso raptus illìc vòrtice,
    Adversa scindit nubila :
Torrentis undè more præcipitis cadens
    Se pondere obruit suo.
Nunc simulat arcus, nunc refert Cydònio
    Excussa nervo spicula.
Abrupta nunc per saxa spumeus fremit,
    Miscetque jurgiis minas.
Glomerantur, atque cærulis in vestibus
    Festiva turba Naiades
Dant libero saltus pede. Has molle hydriis
    Invergere argentum putes,

Plenisque baccas fundere è crystallinis,
Ditemque gemmis grandinem :
Simulant at illæ texta lino carbasa
Mappasque mensis pensiles.

Masques.

Sunt quæ ora larvis per jocum textæ horridis
Terrere gaudent advenas ;
Laticesque, gratâ non sine proterviâ,
Spumis remistos exspuunt.
Nec Nympha fonti quæ beato præsidet
Nullas ibi partes agit :
Effulta sceptro dexteram tricuspide
Aquas morantes increpat ;
Urgetque trepidas, quà per abruptos gradus
Via invia in præceps abit ;
Et confragosa saxa, scabrosque objicit
Pendente clivo pumices.

Jeu des cascades.

Ruunt per aspras interìm scalas gravi
Eheu ! rotatæ vortice ;
Trahuntque bullis candidum exsultantibus
Obmurmurando tramitem.
Credas coactæ sidere hiberno nivis
Lanæve spargi vellera.
Procax cadentes Naiadum ridet chorus ;
Aquæ improbo offensæ joco
Gemunt, queruntur, æstuant, spumas agunt
Sui furoris indices.

Monstres de toute espèce.

Oh ! quantus undas urit egelidas dolor,
Quùm turpe ludibrium pati,
Livida veneno belluarum guttura
Faucesque cetorum horridas
Mulcere debent, vel dare impudentibus
Revomenda ranis pocula !

Char de Vénus.

Viden' ut capacis marmore inclusus labri
　　AEquor imitatur Cyprium :
Stratisque Venerem ferre gaudet fluctibus
　　Conchâ vehentem divite.
Ad blanda dociles fræna delphines salum
　　Pinnis secant pernicibus.
Tritones hinc et indè tortilibus Deæ
　　Canunt triumphum buccinis.
Infestus illis instat, et cæcas Amor
　　Immittit à tergo faces.
Castæ dolosum fugite fontem Naiades :
　　Heu ! flamma sub lymphis latet.

Grand jet d'eau.

At undè tonitrûs aere innubi fragor
　　Aures repentinus ferit ?
Rursùmne Tellus bella Cœlicolis movens
　　Nova jaculatur fulmina ?
An pervicax parat unda diluviem polo,
　　Et mergere astra destinat ?
Timor omnis absit. Artis iste ludus est
　　Lascivientis innocens,
Certæque, vel jocando, naturam suis
　　Subjicere victam legibus.
Sublimem in auras se stupet ferri, insitæ
　　Gravitatis oblitus liquor.
Tantoque rapitur impete, ut tuentium
　　Decepta dubitent lumina,
Sursùm an deorsùm tendat, aut immobilis
　　Medio quiescat æthere.
Glacies videri posset Edoni aspero
　　Durata Boreæ spiritu;
Ni se imbre tenui prodeset, sole iridem
　　Qui pictus adverso refert.

Jàm fessus oculus nec sequi cursum valet,
Nec sustinere longiùs
Micantis undæ fulgura : at illam suum
En pondus invitam trahit;
Patrisque glauco Sequanæ infundit sinu:
Lympha undè spontè garrula
Sanclovianæ mox renarrabit Domûs
Miracla visa Nerco.

---

34. L'abbé Delille a préludé par des poésies latines à ces compositions immortelles qui l'ont élevé dans notre langue au rang des classiques. Voici une pièce inédite qu'il a faite sur le *concours en vers* des collèges de l'ancienne université.

Ergò ubi tempus adest solitas Academia pugnas
Cum renovat, dulcesque ad blanda invitat alumnos
Præmia, concurrunt quos æmulus excitat ardor,
Et lætâ insignes volvunt jàm mente triumphos
Arrecti juvenes animis; precibusque magistros
Sollicitant, pulchrâ ut liceat clarescere palmâ.
Olli, desidiæ quotquot languêre veterno,
Ignavum pecus, imbelles sine laude relinquunt:
At mentem ingenuas si qui excoluêre per artes,
Hos numero ex omni lectos ad dulcia mittunt
Prælia, qui commune decus tueantur, et arma
Pulchra ferant, arma infensas domitura catervas.
Nec mora, delecti juvenes pugnæque parati
Gymnasiis abiêre suis; jam quæque Palæstra
Magnam athletarum totis vomit ædibus undam.
Omnia latè alacri fervescunt strata juventâ;
Omnes armantur calamis, mediisque lacertis
Ingentes gestant, immensa volumina, libros.
Mox ubi convenêre, avidis se quisque vicissim
Perlustrant oculis; juvat inspexisse tot hostes,
Et numerum. Quibus in mediis si fortè virum quem
Spectatum famâ insigni multisque triumphis

Conspexêre, hærent taciti totumque pererrant,
Et digito sociis mirantibus indice monstrant.
Intereà nigrâ conspecti in veste magistri
Apparent; alterque domûs in limine primo
Adstat, ubi rivalis agit certamina turba.
Tum gestans schedulam, bellantûm nomina clarâ
Voce vocat, fidusque observat limina custos,
Audeat ignavus ne fortè obrepere miles,
Et bellatrici sese immiscere catervæ.
Hîc arrecti omnes, intentique auribus adstant;
Et pendent ex ore viri; tectisque vocati
Succedunt intrò; subsellia certa magister
Assignat; sed nè medio in certamine vires
Inter se jungant socias, prohibendaque furtìm
Scriptorum vetitâ faciant commercia fraude,
Et non legitimè vincant, cujusque Palæstræ
Præcipit athletas diversâ in sede locari.
Nec mora, quisque suos, docti instrumenta laboris,
Arripiunt calamos. Ut dantem signa magistrum
Audivêre, silent; suspensis protinùs omnes
Auribus excipiunt dictata, manuque fideli
Committunt alacres incondita verba tabellis,
Materiam informem, quam mox in dulcia fingant
Carmina: fervet opus, toto de pectore sudor
Egregius manat; vincendi immensa cupido
Urget, et ingratum prohibet sentire laborem.
Ut finem imposuêre operi, mora nulla, penates
Solliciti repetunt; sua carmina quisque revisit
Incertus, timidoque attentus lumine lustrat,
Et dubio optatas exspectat pectore palmas.
Invisum tamen in pulchro si carmine tristis
Fortè solœcismus tollit caput, ecce decori
Ora rigant fletus, animis dolor æstuat ingens,
Amissasque gemit palmas, raptosque triumphos.

---

55. Nous avons promis, page 110, la pièce de M. Denoyelle, ancien élève du collège du Plessis, sur le sujet du *Paralytique de l'Evangile* : cette belle composition, qui a obtenu un premier prix, et que l'on admire depuis les jours de l'ancienne université, mérite d'être universellement connue.

Divinas leges supremaque jura Tonantis
Pandebat Christus populis, et nocte profundâ
Implicitas mentes divinâ luce replebat.
Stant omnes erecti animis, atque ordine longo
Effusi circùm pendent dicentis ab ore.
Nec turbam domus ampla capit; sed plurima plenis
Luctatur foribus, murosque obnixa morantes
Obsidione premit, si cari verba magistri
Arripere, atque avidas possit demittere ad aures.
Ecce cohors juvenum magno clamore ferebat
Exanimem in lecto, multos qui languidus annos
Expirantem animam vix ægro in corde fovebat.
Huic moribundi artus et inertia membra remissis
Pendebant nervis, nullumque in pectore robur.
Principio moliri aditus, removere prementes
Hìnc illìnc populi fluctus, orare, precari
Ad Christum misero liceat penetrare, per omnes
Ad Christum niti, solum sibi poscere Christum :
Frustrà; nàm precibus plebs flecti nescia vanos
Tentantem nisus manibusque et voce repellit.
Quid faceret miseranda cohors? quâ voce moveret
Indociles animos? quâ vi perrumperet intùs?
Quid non, alma Fides, superas? Ubi nulla potestas
Interiùs penetrare datur, frustràque laborant,
Tùm super alta domûs fastigia sublevat ægrum
Ingeniosa manus; tecti compage solutâ,
Funibus aptatum longis demittit : ab alto
Debile descendit pondus, Christique docentis
Sternitur antè pedes. Stupet inscia turba : per omnes
Sollicitum serpit murmur; vertuntur in unum

Suspensi Christum; dubiis stant mentibus omnes
Quid faciat? Tunc ille fidem miratus: « Inanes
Pelle metus, fili! nos omnia possumus, inquit;
Quod pateris nihil est; Deus imperat: eia age, rectis
Sta pedibus, certo firma vestigia gressu. »
Dixerat: extempló, cunctis mirantibus, æger
Exsilit, et medicum veneratus poplite flexo,
Ad proprias gaudens sanusque revertitur ædes.

---

36. Voici la pièce sur la navigation au moyen des machines à vapeur, qui devait paraître dans le dernier numéro. Comme elle nous est parvenue quelques jours trop tard, nous avons dû (p. 112) en composer une. Si nous ne consultions que l'intérêt de notre amour-propre, nous nous garderions bien de publier celle-ci: mais il nous est doux de céder la palme à nos maîtres.

Navis, vaporatæ aquæ auxilio, contrariam flumini viam faciens.

Clodoveos nuper, sectantem gaudia ruris,
Et curis vacuum me cymba ferebat ad hortos;
Jam decrescentes villas mirabar et urbem
Ire retrò: ecce mihi sulcanti fluminis undas
Occurrit navis, nigros ad sidera fumos
Interdùm eructans, et nullo fune revincta,
Adversum et remeans occultis viribus amnem.
Obstupuêre oculi. Doctus tùm fortè viator
Qui lateri adstabat: « Tune his peregrinus in oris
Vivis adhùc, artisque novæ miracula nescis?
Non ignota cano. Longinquo è littore solvit
Navigium quod cernis, ait: fluctusque tumentes
Ventorumque moras vicit. Mox ostia magni
Fluminis intravit, superatis æquoris undis,
Et nunc oppositos demisso vertice pontes
Transit, et optati subit ecce palatia Regis.
Turgida aquis mediâ stat scilicet olla carinâ
Ingens, atque alitur subter violentior ignis.

Ast ubi fervescit flammis propioribus unda,
Erigitur sursùm, et tubulum vapor implet inanem
Carceris impatiens. Tùm summâ de trabe, laxis
Quam stringit mediam vinclis immobile tignum,
Admissus tubulo vectis dependet, in imâ
Cujus parte arctis compagibus embolus hæret.
Hunc autem attollit sursùm vi fortior omni
Conclusus vapor, et gelidæ mox deprimit infrà
Jactus aquæ (faciles illi nam docta meatus
Ars dedit) et proprio demersum pondere cogit
Ima sequi. Sic nexa trabes surgit, premiturque,
Alternansque vices extremâ parte movetur,
Atque alium vectem pariter trahit oscillantem.
Huic ferrum aptatur versatile. Quo rota motu
Vertitur. Insertis simùl aptè dentibus ipsa
Trajectam rapit axe rotam. Tùm navis utroque
Ab latere, extremo rota duplex axe movetur,
Remigio alarum quæ findit fluminis undas
Adversi, refluoque citam trahit amne carinam.

C. B.

Inscriptions pour la bibliothèque royale.

37. Ingenii fœtus hîc sedula cura recondit:
Sic ævum erudiunt sæcula prisca recens.

C. B.

38. Rex sapiens sparsum ingenii collegit honorem,
Quem cumulant opibus sæcula docta suis.

Adolphus Jauffret.

39. Regius ecce tibi Musarum panditur hortus:
Carpe libens flores; mixta venena cave.

Samber.

40. Omnibus hîc animi parta medela malis.

Samber.

41. Fertur splendidior Phœnix è morte renasci;
Talis Scriptorum funere fama viget:
Quos pià dùm condit perituro cura sepulcro,
Hîc redivivus honos certaque vita manet.
Eugène Barbier-Vémars, fils.

---

42. Une maladie cruelle a enlevé, il a quinze jours, à l'amour des muses françaises, un jeune poëte digne de sa réputation. Qui ne connaît les aimables compositions de M. Millevoye! Toutes les mères savent par cœur les vers suivans.

Près des murs de Florence, une coutume antique
Consacrait tous les ans une fête rustique.
Le peuple des hameaux, dans les champs d'alentour,
Vient, en chœur, du printemps saluer le retour;
Mille groupes joyeux précipitent leur danse,
Fidèles au plaisir plutôt qu'à la cadence:
Quand tout-à-coup, un cri terrible et menaçant
Effraie au loin l'écho du bois retentissant.
Un lion, l'œil en feu, se présente à la vue;
Tout fuit. Dans le désordre, une mère éperdue
Emporte son enfant. Dieu! ce fardeau chéri
De ses bras échappé tombe; elle jette un cri,
S'arrête. Il est déjà sous la dent dévorante:
Elle le voit, frémit, reste pâle, mourante,
Immobile, les yeux fixes, les bras tendus.
Elle reprend ses sens un moment suspendus;
La frayeur l'accablait, la frayeur la ranime.
O prestige d'amour! ô délire sublime!
Elle tombe à genoux: « Rends-moi, rends-moi mon fils! »
Ce lion, si farouche, est ému par ses cris,
La regarde, s'arrête, et la regarde encore.
Il semble deviner qu'une mère l'implore.
Il attache sur elle un œil tranquille et doux,
Lui rend ce bien si cher, le pose à ses genoux,
Contemple de l'enfant le paisible sourire,
Et dans le fond des bois lentement se retire.

Ce morceau a été mis en vers latins par Mr. B. Piéton, ancien professeur de rhétorique au collège d'Evreux, qui a lutté d'élégance et de précision avec l'original. Sa version a en outre le mérite d'une grande fidélité.

A Florentinis non longè mœnibus, ævo
Lux sacra ab antiquo redit annua : et undiquè circùm
Rusticà læta cohors spatiosi in gramine campi
Fervet, agitque choros, celebrans pede veris honores
Præcipiti, nec tàm numeros, quàm gaudia servans.
Ecce autem subitò sonat ingens plangor ad auras
Dira minans, longèque cavum nemus omne remugit.
Et Leo sævus adest; oculis micat acribus ignis :
Diffugêre omnes. Tanto in discrimine, mater
Natum amens rapit accelerans; onus illud amoris,
Proh! Deus, elapsum ex ulnis cadit : ejulat illa;
Restitit : ah! teneros sub acutis dentibus artus
Jàm videt, exhorrens, exsanguis, morte sub ipsâ,
Statque immota, obtutus fixa, manusque tetendit.
At brevis hanc tenuit stupor; ad se sana redit mens :
Quam pavor oppressit, pavor idem suscitat. Omni
Consilio major magica ô vis! ô amor ingens!
Procidit hæc genibus : « Mihi reddito, reddito natum! »
Excipit orantem jàm non leo; spectat amicè;
Ultrò hæret, spectatque iterùm. Nec bellua (credas)
Sese implorari materno intelligit ore.
Miti nàmque tuens oculo, sua gaudia matri
Prolem exoptatam reddit, genua antè reponit.
Tùm placido infantis pascit sua lumina risu;
Dein lentè excedens sylvæ interiora petivit.

---

43. Vers pour la Fête du Roi.

Æra tonant, non jàm diras minitantia mortes;
Lætitiæ sed signa canunt, reducemque salutant
Te, Lodoix. Vos ô Galli, regemque patremque
Cernite. Quò fert cumque gradus, comitantur euntem

Justitia et pietas; blando clementia vultu
Majestasque sedent; potiorque satellite multo
Stipat amor populi. Spirat redivivus in illo
Henricus, sibi qui Gallos devinxit amore,
Laudaturque suî memores fecisse merendo.
  Borbonidûm auspiciis tandem felicia current
Sæcula; pax ditabit agros, ditabit et urbes;
Pax homines etiàm lapidoso nutrit in agro,
Lætis agricolas bellum malè nutrit in arvis.
Nunc igitur, Galli, plausus iterate frequentes:
Vivat io Lodoix, multos et regnet in annos!
Vivant Bordonidûm præclarâ è stirpe nepotes!

Auctore Joanne-Philippo Jannet, bibliopolâ, qui latere ac tacere maluit, quàm ullum unquàm verbum scribere in laudem tyranni.

44. Même sujet.

Ille dies nobis faustus lætusque recurrit
Qui Regi festus celebratur pacis amico.
Tu Regem et patrem tibi, Gallia, plaude receptum,
Quo duce, naturæ violatâ lege, parentes
Non immaturâ præcedet morte juventus.
  Aspicitis, quotiès populo inclamante videndus
Ultrò procedit, quàm se ferat ore benigno?
Suaviter ut spirat majestas regia vultu!
Ut tenero affectu summum testatur amorem!
Ut sensus taciti, dextrâ signante, loquuntur!
  Borboniam votis amplectere, Gallia, prolem
Et confide animis; quamvis nunc mersa profundo
Emerges olim, foveas modò lilia: quæ si
Dumosos inter vepres crevêre, vigebunt
Fortiùs, æternæ prænuntia lilia pacis.
Omnia conspirent studia, et vox omnibus unâ:
Vivant Borbonides! mox omnia fausta sequentur.

Bardoux, ancien élève de Sainte-Barbe.

45. Même sujet.

Bella canant alii, partos et cæde triumphos;
Atque ferâ celebrem, dùm censuit ultor Olympus,
Laude virum, qui, ritè furens hinc indè per orbem,
Marte ruit rabido, irarum stipante catervâ;
Nec bacchante quidem Boreâ, tua limina, Jane,
Præcludi passus, nec vos requiescere, matres.
Pacis amans placidas ego tollere cantibus artes
(Si non deficiat tanti mens conscia cœpti)
Haud dubitem, legesque pias et reddita plebi
Fata vel invitæ meliora: audaxque Parentis
Dicam regales animos; quàm fidus in omnes
Pectus adurat amor, quæ pungat cura juvandi;
Vel quale ingenium et blandi sermonis acumen;
Quàmque invicta sacro pugnet clementia juri.
At non conticeant tacitâ præcordia Musâ;
Unanimis dignas Lodoico solvere grates
Certemus studiis; longumque precemur in ævum
Felices, vel quos nobis Deus auferat, annos.

Prosper Dufour.

---

46. Un enfant qui avait volé de la chaux, se voyant poursuivi, la mit dans son sein, et se jeta à la rivière pour s'échapper : mais la chaux prit feu et il périt. Ce sujet donné comme matière de vers en rhétorique à Juilly, fut traité ainsi:

Morte novâ morior, furto consumptus iniquo,
Infelix medias inter adustus aquas.
Ignem fluctus alit; gelidis furit æstus in undis,
Et populare meum certat uterque sinum.
Scilicet alterutrum spernens impunè tulissem,
Ni libeat vires consociâsse suas.
Quæ natura parens elementa inimica creavit,
Mors in perniciem fecit amica meam.

Les Muses de Juilly.

---

47. La Fantasmagorie. (Sujet proposé page 96.) Cette pièce est bien supérieure à cinq autres que nous avons reçues.

Tartareas quisquis sedes et regna tremendi
Visere Plutonis gestit, ternasque sorores
Non timet, anguineos agitantes vertice nexus,
Prodeat: haud illi longævæ voce Sibyllæ
Est opus, ut Stygiæ queat æquor triste paludis
Vivum etiàm duri transmittere cymba Charontis;
Nec petet auratæ rursùm Proserpina virgæ
Munus frondescens: facilis descensus Averni.
Jam seris proles Erebi secat aera pennis
Stellatoque polum Nox infuscavit amictu.
Tempus, tempus adest, Orci penetrare recessus
Si juvat, ac gelidos tumulis arcessere Manes.
Luce sepulcrali magicas illuminat ædes
Lampas, quæ dubia atrâ in nocte crepuscula servans,
Exstimulatque metus, animumque haurire pavorem
Ex oculis cogit. Vultu simulacra minaci,
Et diras facies, diversaque monstra figuris,
Terribiles visu formas atque horrida spectra
Murus habet. Vastis simùl ipsa silentia tectis
Insolitâ mentem exagitant formidine. At ecce
Thessalico nutu lampas restinguitur, atque
Illicò in obscurâ densantur nocte tenebræ.
Tunc in concentum, longo resonare ululatu
Organa; tunc voces mixto clamore dolenter
Confremere: in piceâ reboans caligine plangor
Invaditque animos ac fingit corda futuris.
Paulatìm intereà tenui cum lumine fulgor
Exiguus cœpit splendescere: qualis in umbrâ
Noctis, ubi premitur pluvia inter nubila Phœbe
Decolor, et terræ vultus ostendere tentat,
Vincere si nubes nequit, illas luce malignâ
Inficit; haud aliter mediis collucet in umbris
Pallescens lumen: quisque ore exspectat hianti.

En procùl, ac veluti Divûm circumdata nimbo
Ossea forma subit, levibusque volare videtur
Motibus, haud tangens terram, assiduèque tremiscens,
Falce manum armatur; flammæ cava lumina complent
Cæruleæ; horrenti livent rubigine dentes.
Agnovêre omnes Mortem, et tremuêre. Sed illa
Ire retrò, et, sensim dilapsa, recedere prorsùs
Ex oculis, ventis volucrique simillima somno.
Protinùs in mediâ luce apparere triformis
Incipit, et rutilo flammas vomit ore Chimæra:
Contractâ primùm specie, mox corpore vasto
Immensa incedit, terretque voracibus omnes
Faucibus; hîc oculos curvâ omnes condere dextrâ.
Lernæus septem abscisis cervicibus anguis
Trunca agitat colla; huic exsudant sanguinis atri
Vulnera adhùc guttas. Adsunt Scyllæque biformes
Immundæque alvo harpyiæ, Phorcique propago
Gorgones. Has sequitur pectens pro crine colubros
Tisiphone, sævoque furit vesana flagello;
Felle tument oculi, manat fœdo ore venenum.
Mox caput, avulsum Polyphemi è corpore, promptis
Lapsibus approperat, celerique extenditur auctu.
Effossum lumen mediâ huic in fronte cavernam
Excavat ingentem; ruit atro flumine tabum.
Barba inculta jacet mento, villosaque labra
Semiadaperta, albis cum dentibus ora cruenta
Ostendunt; omnis facies agitata tremiscit
Motibus horrificis, calidasque furore videtur
Intentare minas. Quin et, statione relictâ,
Spectantes irâ commota infertur in ipsos;
Infrendentque fero rabidi cum murmure dentes.
Corda repentinus pavor hausit; planctibus ædes
Fœmineis ululant; puer à cervice pependit
Maternâ, subitis cum fletibus; ipsa virorum
Pectora pervadit furiosa Cyclopis imago.
Abjicite ex animis terrorem, abstergite ocellos

Turgentes lacrymis, pueri, timidæque puellæ:
Hæc mala nulla ferent vobis Phantasmata; nec vos
Quas ultrò amplificat convexi lumine vitri
Duplicis ars miris industria lusibus, et quæ,
Dùm crescunt, ad spectantes properare videntur,
Hæ lædent tenues sine vitâ corporis umbræ.

Adolphus JAUFFRET.

---

48. M. de Boinvilliers, auteur estimé de plusieurs ouvrages utiles à l'instruction de la jeunesse, établit dans les vers qu'on va lire que personne ne doit être appelé heureux avant sa mort.

Hùc geminas, hùc flecte acies, quicumque superbis
Sorte tuâ, et vento das turgida vela secundo.
Disce vices varias, dubiæ ludibria sortis
Disce, nec humanis nimiùm confidere rebus.
Illa, vides, quæ se medias pyra tollit in auras,
Fatales elata vices et triste minatur
Exitium : jàm flamma micat, jàm concipit ignem,
Ardentesque rogus vomit hinc atque indè favillas.
Hæc adeò si fortè roges cui fata parentur,
Crœsum busta manent, Lydis qui nuper in oris
Immensas jactabat opes, tumidusque potenti
Imperio, et fatis amens felicibus, unum
Inter mortales se credidit esse beatum.
Illum nequicquam vox hæc præsaga Solonis
Admonuit « Nemo est antè ultima fata beatus »;
Usquè graves monitis clausit sapientibus aures.
I, conscende rogum, flammæ devota furenti
Victima, tu sæclis monimentum triste futuris,
Antè obitum felix meruit quòd nemo vocari.

---

49. Les journaux anglais ayant annoncé en juin 1814 que les Cosaques avaient pris à Londres l'huile des réverbères pour l'usage de leur cuisine, M. Bouvet de Cressé fit ces vers :

Optima gens, Cosaci, famâ super æthera noti,
Gallica qui nuper vina bibêre palàm,

Pinguia nunc oleo furtìm præcordia tingunt,
Londinique faces, lumina rapta, vorant.
Anglia! si Cosacis faciles permittis habenas,
Jàm mare, jàm pisces, jàm tua vela bibent.

---

50. Epigramme contre un Zoïle.

Zoïle, te rident. — Ridentes rideo. — Pol! te
Felicem! Ridet, Zoïle, nemo magis.

J. C. Grancher.

---

51. Boutade imitée de Grécourt.

Septenos jactat sapientes Græcia tantùm :
Ergò quot insanos Græcia progenuit!

J. C. Grancher.

---

52. Triomphe de la médecine.

Dives inopsque malo languebant nuper eodem :
En Tuccam ambo vocant; non dubitat medicus.
Ditem visit : inops naturâ visitur unâ.
Quid factum indè? Jacet dives, inopsque valet.

J. C. Grancher.

---

53. L'assemblée des cloches. Fable.

Decessit parochus, civesque extrema parabant :
Heu! mors vel parochos insatiata rapit!
Ergò quid pompâ dignum, quid triste sonarent,
Campanæ templi disseruêre simùl.
Ut fit apud multos, quæque in diversa ruebat,
Nec poterant uno scilicet ore loqui.
Hæc inter Campanarum venit actor, et, omnes
Ad libitum pulsans, jurgia vana premit.

Sic, quandò nimia inter nos miscemus, habenas
Rex movet, et fausto reddimur obsequio.

J. C. Grancher.

---

10. ÉNIGME.

Non sum turris ego; sed ut exstem, turris oportet
Dimidium turris jungere dimidio.
Nec sum vulturius, qui me vorat impius hostis:
Se medium intereà bis tamen ipse vorat.

B. V.

11. LOGOGRIPHE.

(Ce logogriphe a deux mots différens.)

Sunt mihi quinque pedes : collum rescindito, pungam.
Si collum reddas, graviori vulnere pungam.

Les Muses de Juilly.

12. AUTRE LOGOGRIPHE.

Per me vivis, homo; caput extrahe, do tibi mortem.

L. M. J. Hermel.

13. CHARADE.

Pars prior hiberno nudatos frigore colles
Floribus atque novo frondis honore tegit.
Posterior, raucâ fodiens indagine silvas,
Indicat eximias, non sibi, nare dapes.
Summa canit belli casus et gaudia pacis,
Felicem et populum regis amore sui.

A. Y.

Le mot de la dernière énigme (voyez page 115) est Fumus; les trois mots du logogriphe sont Roma, Amor, Maro. Le mot de la charade est Num-mus.

MISCELLANEA.

4. Suétone, dans un des fragmens qui nous sont restés de son ouvrage sur les grammairiens célèbres, nous a conservé un fait curieux qui prouve que, même dans une république, la sagesse des magistrats se tient en garde contre les innovations.

Rhetorica apud nos non facilè recepta est; quippè quam constet nonnunquàm etiàm prohibitam exerceri. De rhetoribus Cnæus Domitius OEnobarbus et Lucius Licinius Crassus censores ità edixerunt : « Renuntiatum est nobis esse homines qui novum genus disciplinæ instituerunt; ad quos juventus in ludos conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetoras; ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Majores nostri, quæ liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter et iis qui eos ludos habent, et iis qui eò venire consueverunt, videtur faciendum ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. »

Paulatìm tamen rhetorica utilis honestaque apparuit; multique eam præsidii causâ et gloriæ appetiverunt. Quarè magno studio hominibus injecto, magna etiàm professorum ac

doctorum profluxit copia, adeòque floruit ut nonnulli ex infimâ fortunâ in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerint.

RECENTIORUM OPERA.

7. Les éloges de Corneille, de Racine et de Fénélon, par M. Villemain, (voyez page 119) ont été admirés de nos lecteurs, dont plusieurs nous ont demandé un nouveau morceau de la même plume. Nous leur offrons l'éloge de Bossuet.

Vir quidem unus gallicarum litterarum decus exornavit, spiritûs magnificentiâ præcellentissimus, grandis, elatus, et hanc liberiorem audaciam præ se ferens, ut alienis insistere vestigiis minimè posse videatur: ille inquam Bossuetius vel Tullio, vel Demosthene animosior et sublimior; electus in quo christiana religio ostenderet quantùm posset ad promovendas ingenii vires et ardorem oratoris inflammandum. « Te præsertìm, clarissimum Galliæ nostræ lumen, Græcis et Romanis opponere non dubitamus, ultrò interrogantes quis contrà sisteretur. Nàm tibi singularis et unica quædam concessa est vis eloquentiæ, sive calamitosos populorum casus et indignissimam reginarum fortunam enarras, regesque commonefactos suspicere in cœlum jubes, horrendasque rerum mutationes ex

alto peragentem agnoscere cœli regnatorem; sive regum filiæ immaturo interitu præreptæ illacrymaris, et omnia luctu et comploratione misces, perturbatus ipse et inopino malo perculsus; sive bellicum canens erumpis in prælia, orationem ab ipsâ veluti exorsus victoriâ, immortalemque Condæi celeritatem, quodam igne volucrem, pari velocitate consequeris ardens et incitatus, donec paulatìm, restinctis animorum incendiis placidior, christiani bellatoris pietatem constantissimamque mortem exhibeas, omnibusque vocatis, tu quoque desideratissimi principis ad tumulum accedas lacrymabundus, ac dè propriâ morte cogitans. Salve igitur, Gallicæ facundiæ parens, veræ sapientiæ magister, christianæ religionis assertor: tu solus apud nos veterum eloquentiam virilem illam et oratoriam repræsentavisti; tu solus effecisti ut quorum bellicas laudes adæquavimus, illorum non vinceremur ingenio. »

At in illo etiàm tàm vivido, tàm acri et aliquandò incultiori ingenio non minùs est artis quàm naturæ, crebraque elucet veterum imitatio. Doctissima est ejus negligentia. Ille quidem magno fertur impetu præceps et immensus, sed multa è Græcis Latinisque desumpta velutì rapidissimo ruentis ingenii vortice secum trahit involvens, alienisque augetur opibus ipse ditissimus. Nec frustrà

clarissimus orator, antequàm ad scribendum veniret, Homero legendo se suscitare consueverat, et ab illo poetarum parente animos ac spiritus assumere majores.

---

8. Les cascades, si bien chantées par le père Commire (voyez page 146) ne forment pas le seul spectacle qu'offre la fête de Saint-Cloud. Elles couronnent dignement les plaisirs de la journée : mais ces plaisirs, comment les peindre ? comment exprimer en latin et les polichinels, et les mirlitons, et les entrechats à six ?

Tot pulsantur cymbala, inspirantur cornua, inflantur classica; ità rudunt tubæ, gingriunt fistulæ, tetrinniunt tibiæ, mugiunt buccinæ; sic sibilant stridentibus fides plectris; sic strepunt citharæ; sic mixtum hinnitu grunnitum rotant sambucæ; sic pneumatica rhonchissant organa; sic minora radiis tunduntur, majora bombis murmurant, cantabrica ære tremulo tinniunt tympana; sic pedunt utriculariorum compressi folles; sic vibrissant crotala; sic deniquè litui, testudines, panduræ, barbiti, lyræ, chelydes, arundines, campanæ, clangunt, pipiunt, gemunt, fritinniunt, crepant, crocitant, boant, tonant, ut, quanquàm hæc universa acutum plerùmque sonum remittunt gravem poscentibus, omnes penè lymphati saliant, aut certè pedes vel inviti motitent.

Totius viciniæ pubes rustica dat motus incompositos, eòque jucundiores. Puellæ, pul-

cherrimo dierum solemnium ornatu conspicuæ, solitos agrestium chorearum ducunt quaterniones; his pari numero juvenes nudas quidem manus at toto manè lotas jungere properant; et circùm rubicundas virgines, duplici accensas lætitiâ, plumbea procorum tripudiat levitas.

Choros non procùl exercent Parisinæ matronæ et virgines, verùm discretos. Artem saltandi merâ ambulatione pleræque dissimulant. Vile aspernantur gaudium; et rusticanæ voluptatis impetus perosæ, urbani fastidii honores sibi vindicant. Harum tamen nauseas putidâ tædii affectatione sic vincunt quidam trossuli, ut funus potiùs quàm choreas ducere videantur. At interdùm, ter quaterve, sive soporem istum excutere, sive solertiam suam ostentare velint, vividâ pedum implicatione micantes, singulos saltus senis motibus notant, oculosque spectantium inopinis quodammodò præstringunt fulguribus.

Intereà lascivit grex innumerus puerorum: hîc tubas et cornua conatur vincere clamoribus; ille membranam aridiorem verberat bacillis indefessus; alius cannam biforem, cæparum frementibus tunicis aptè instructam, assiduo flatu fatigat minùs quàm aures prætereuntium. Nonnulli, per collis declivia, cursûs incepti impetum malè secuti, cernuant, nasique damnantes longitudinem, rejectâ cervice faciem ægrè attollunt arenâ, humo, pulvere, sanguine,

ac lacrymis ridiculè viscosam, et pia inter sibila exsurgentes, irridentium sequacem proterviam pede claudo fugiunt.

Quid memorem funambulorum saltus aerios, scurrarum alapas et convicia; doctos canes doctioris asini augentes miraculum; circulatorum impudentem audaciam; erepta oceano monstra, ab ore hominis cibum clementissimo morsu petentia; vaticiniis intenta rusticorum ancillarumque agmina; simiarum aniles rugas procacemque petulantiam; ligna nervis alienis mobilia, alienis vocibus garrula; tinnulà calicis ansâ provocatas ptisanæ sorbitiones; magica præstigiatorum acetabula; amissos canes vocantium anxios sibilatus; crustula vel crepundia matribus obtrudentem mercatorum avaritiam; longis militum ensibus offensas ambulantium tibias, aut læsos umbellarum radiis oculos, aut contusos pedibus pedes; horum jurgia, illorum cachinnos; omnium deniquè æstuosam agitationem?

BARBIER-VÉMARS.

CORRESPONDANCE.

4. Paris, 5 août 1816.

Dùm lego commentarium Petri Danielis Huetii Episcopi Abrincensis, *De rebus ad ipsum pertinentibus*, incidi in jocularem narratiunculam

versibus non adeò insulsis, ut opinor, exaratam. Hanc tibi mitto, Hermes carissime, quâ utaris ut libebit. Ille Huetii liber non est pervulgaris; undè novos omnibus ferè tuis lectoribus crediderim quos in tuum usum nec non in illorum oblectationem excerptos volui versiculos. Vale.

ANDRIEUX.

Le Pou électeur.

Huetius in Hollandiam iter faciens anno 1652, *narrat quo ritu Consul in oppido Hardenbergâ soleat eligi.*

Hinc Hardenbergam serâ sub nocte venimus.]
Ridetur nobis veteri mos ductus ab ævo.
Quippè ubi deligitur revoluto tempore consul,
Barbati circà mensam statuuntur acernam,
Hispidaque imponunt attenti menta Quirites;
Porrigitur series barbarum desuper ingens.
Bestia, Pes, mordax, sueta inter crescere sordes
Ponitur in medio. Tùm cujus numine Divûm
Barbam adiit, festo huic gratantur murmure Patres,
Atque celebratur subjecta per oppida Consul.

5. *Réponse.*

Lepidam prorsùs misisti mihi fabellam, consultissime *Inconsultorum* pater. Isti sanè juvenes, quos non perituro carmine depinxisti tàm amabili petulantiâ fervidos, Hardenbergensis coronæ gravitatem exsibilâssent. Nos verò maturiores barbatam curiam laudabimus, quòd fata publica placido potiùs pediculi judicio quàm cæcis factionum studiis commit-

tenda censuerit. Nonne miraris Huetianos senatores, romano more, *pedibus* ire in sententiam? Vale.

B. V.

---

6. De Lyon, 13 août 1816.

Non sinè aliquo stupore, ut opinor, Hermes mellitissime, primam hanc ceram primasque voces legens inspicis; et « Quid, ais, iste Rhodani potor, qui profectò nunquàm Caballino fonte labra proluit, nostrum conspectum subire audaculus non refugit, et se deridendum propinat? »

Sic tu mehercule; sed, precor obtestorque, si mihi fortè succensueris quòd eò audaciæ devenerim, ut ignotus tibi te familiarissimè utar, ignosce, et adunco rugosa è naso sanna excidat. Nàm si qua sit in me culpa, tota tua est; tu solus mei reùs es criminis, qui me mihi surpueris comptissimo illo tuo et ornatissimo sermone quem Hyblæo delibutum et fluentem rore libens autumaverim.

Quantus enim lepos, quanta gratia in isto nuperrimo tuo opere (pag. 112), quo Navim illam insolitâ novitate stupendam eximiis laudibus extollis! Ipse ego tenui deductum filo carmen, ad amussim exaratum, perpolitum, concinnatum, paucis quanquàm vigiliis elucubratum, et quasi extemporale, deciès revolvi, deciès legi, suxi et inexpletùm ligurivi. Scilicet

labellis tuis in mollicellis trina sessitat Charis, aut dulcis Suada quæ tibi suos omnes honores splendidasque dotes afflavit.

Ne ergò mirere si ego blennus, perperus poeta, et vix ingratos ore blæso fundens sonos, te ipse prior hisce litteris meis et injucundo convicio lacessiverim, et impotentis admirationis meæ erumpentes undiquè impetus cohibere et premere nequiverim.

Neque adhùc residit furor ille quo nostræ penitùs incaluêre medullæ. Jàm videlicet ab aliquo temporis spatio Musis plurimam salutem dixeram; quique fuerat quondàm noster rei poeticæ amor deferbuerat : at tu ipse illum ignem in cineres dilabentem supposito fomite exsuscitas et rursùs accendis. Nunc entheus Hyantæos per lucos me raptat ardor, et jàm atro pulvere sordescentem jubet excutere chelyn, et attritas desueto pollice fides increpare.

Quòd si tu, Hermes excultissime, non gravaberis, nec humiles dedignaberis cantus, tibi interdùm aliquod levidense munusculum et elumbe carmen mittam quod publici juris facias, postquàm tamen perspicacissimo ingenii tui acumine recognoveris.

Intereà longam plus æquo luxuriantemque epistolam bonus accipe, et cura in primis ut valeas.

SERVAN fils aîné, ancien élève du collège royal de Lyon.

7. Réponse.

Apage thuribulum ! istud, inquam, thuribulum quo me, cui aduncum nasum dederas, jàm simum fecisti. Quanquàm me fumo pasci decet tàm inanem. Imò si quid est fumo levius, hoc debuisti meæ vaporem pensare Naviculæ. Mene adeò inconsultum navitam esse putas, qui hunc phaselum dulcissimo quidem at pessimo laudum naufragio mergi patiar? An, quià ipse meritâ laude onustus sarcinam jàm non sustines, è cumulo tuo in scapulas nostras prodigis?

Utcunque se res habet, Hyantæos lucos ingredere, non Bœotus. Chelyn excute; et quam tuî expectationem concitâsti, tuere gnaviter. Disjecti poetæ membra litteræ tuæ vix dissimulant, ut athletarum nervos declarant injectæ à peritissimo pictore vestes. Euge. Cane. Vale.

B. V.

---

8. De Saint-Etienne, 15 août 1816.

Adolphus Jauffret Hermeti Romano, luculentissimâ eloquentiâ ac dulcissimâ poesi clarissimo, salutem.

Ex Segusianorum montibus atque urbe Stephanopolitanâ, Cyclopum verè patriâ, ad te larvas ac lemures (p. 159) mitto, Hermes amabilissime. Nè me timida Pierio clivo vestigia ponere tentantem omninò rejicias, quæso.

Mecum ego diù dubitavi an carmina, utpotè parùm pro debili ingenio limata, tibi traderem: at deniquè te omni doctrinarum genere excultum ad indulgentiam, ut solent maximi viri, esse propensum cogitavi. Nè igitur meam fallas fiduciam obsecro. Me ut discipulum alis protege gremioque accipe, quem devotissimum semper atquè amantissimum experietis. Vale.

9. *Réponse.*

È Cyclopum patriâ tua te carmina oriundum satis declarant, Adolphe, quippè quem non offenderit limæ labor. Quos incudi noviès reddidisse videris versiculos, et ego typis mandabo libenter, et Romani nostri legent libentiùs. Nàm ut Horatianos tibi versus mittam, tu lepidissimè

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque thessala rides.

Vale. B. V.

---

10. Paris, 14 août 1816.

Egregie Hermes, sententiam regiæ bibliothecæ foribus, carmine latino, inscribendam proposuisti: meum ne despicias leve tributum (pag. 154): brevem, quem addo commentarium, benignè excipias precor.

Si vis optima, in quocumque genere, opera obtinere, usus ille ab Academicis consecratus, quo tractanda proponitur certa materies, brevissima et aptissima via mihi esse videtur. Ad-

hibito enim æmulationis stimulo, sæpè evenit ut, dùm clarissimi scriptores laureis suis acquiescunt, aut alii cuicumque labori operam suam impendunt, humilis hùc usquè et ignotus artifex, spe laudis et præmii illectus, vires suas colligat et experiatur, opusque exquisitissimum subitò è tenebris proferat, quod, sublatâ unâ illâ occasione, in lucem prodere ausus non esset, aut ne quidem excogitavisset.

Insperatâ scilicet victoriâ incitatus, novus noster scriptor, secretâ jamdudùm exercitatus lucubratione, et clandestino, ut ità dicam, Musarum commercio edoctus, in curriculum emicat et veteres æmulos longè superat.

Quòd si de minimis operibus agatur, quæ in brevi carmine aut ingeniosâ versantur sententiâ, contigit sæpiùs ut perfectissimum carmen è tironis rudi et inexperto excidat calamo, aut ex ingenio vulgari pulcherrima exsiliat sententia; quemadmodùm è silice scintilla excutitur.

Imò si inscriptionem, vel sententiam, præclaro scriptori exequendam commendaveris, concinnam certè et laudabilem obtinebis: sed si multis vel non ità doctis et illustribus, opusculum idem simùl proposueris, non dubium est quin, ferè semper, melius aliquid et felicius tibi eveniat.

Adde quòd facilè poteris, cùm optimam selegeris sententiam, aut eam, si necesse est,

stylo emendare, aut iterùm lectoribus tuis, verbis elegantioribus, sive carmine splendidiore, illustrandam proponere.

SAMBER.

11. *Réponse.*

Tres tantùm, sed optimos versus, ô Samber, misisti mihi. Difficilè vinces ut pulcherrimas tuas sententias ex ingenio vulgari exsiliisse arbitrer : nisi fortè philosophici lapidis inventor è venâ plumbeâ obryzum potes eruere.

B. V.

EPICEDION.

9. Une douce mélancolie avait conduit nos pas au cimetière du Père la Chaise. Quelques amis de la littérature latine y lisaient à haute voix l'épitaphe composée en l'honneur de M. Lehoc, auteur de la tragédie de *Pyrrhus*. Indépendamment du mérite de la composition, ils admiraient le noble courage qui avait fait graver en 1810, dans un lieu public, le panégyrique de Louis XVI, introduit avec art au milieu de ce morceau.

HÎC REQUIESCIT

LUDOVICUS-GREGORIUS LE HOC,

Natus Parisiis, anno 1743, die octobris 28ª, et ibidem mortuus, anno 1810, die octobris 15ª.

Qui studiorum curriculum
In Collegio HARCURIANO emensus
Multarum palmarum puer;
Postquàm indolem generosam,
Animumque ad magna natum
Liberalibus perpolire artibus properavisset juvenis;
Factusque, tùm stricto, tùm soluto sermone,
Scriptor egregius;

Intrà virilis ætatis primordia
Senilem sapientiam repræsentavit.

Cùm Gallia libertatis et commercii propugnatrix,
Americam
Navibus, armis, pecuniâ, viris adjuvaret;
Tunc rei maritimæ Procurator universus,
De communi immunique et mercandi et piscandi jure,
De permutandis inter bella captivis
Humanas scripsit leges,
Et scriptas administravit.

Byzantium missus,
Et propter solertiam, dexteritatem, prudentiam;
Ad secreta clarissimo Ministro comes adjunctus;
A Bosphoro tamen abstinuit,
Donec antiquitatis doctus interrogator
Tetigisset Athenarum cineres,
Et Homeri umbram,
Demosthenisque Manes
Venerabundus salutavisset.

Deindè ab infelici Ludovico XVI revocatus,
Ut própiori auxilio regiam defenderet dignitatem;
Cùm inter optimates suos
De populo in sua jura restituendo
Et de Regni Comitiis ad leges refigendas convocandis
Rex candidior deliberaret;
Ille intumescentis procellæ frementes auras senserat,
Herumque de periculis ingruentibus
Et sagax et fortis, non semel admonuit.

De Anseaticis civitatibus et de Sueciâ
Ad quas legatus venerat,
Optimè meritus,
Animos tàm exquisitâ comitate sibi devinxit

Ut, quasi unum è suis civibus, præsentem colerent,
Et abeuntem inextincto prosequerentur desiderio.

Deniquè, cùm nimiâ libertate laboraret patria;
Cùm publica navis suo spoliata gubernatore
Fluctuum civilium æstibus vorticosis fatisceret;
Cùm omnes sexus, ætates, doctrinæ, virtutes,
In carcerem, hoc est ad mortem, traherentur,
Carceris honore non caruit.

Sed post sublatum plebeculæ insanientis dominatum,
Ruris tranquillitatem, tanquàm portum, respexit;
Ibique inter amicos privatus civis,
Calumniâ et livore major,
Carmen Sophocleo cothurno dignum concepit;
Et sexagenarius
Pulpita tragica firmo conscendit gradu,
Attonitæque et acclamanti Lutetiæ
Alterius PYRRHI fabulam ostendit.

Mox de scenis cuneisque plaudentibus
Sub lapidem hunc funereum,
Cespitemque proprium descendit,
Ubi nunc fidam uxorem exspectat,
Nec isti etiàm fidei heu! defuturam,
Ut quos vita felicibus conjunxit nexibus,
Non ipsa mors unquàm separet.

S. T. T. L.

Hæc monimenta sui dabat inscribenda doloris,
Vanum lugentis pignus amicitiæ.

N. E. LEMAIRE.

HISTORIETTES. BONS MOTS.

26. Les effets sans causes.

A Publii, quem salutare volebat, catellâ morsus, quum crus sanguinolentum anxiè spectaret Ahala : « Ne timeas, ait Publius, nunquàm enim quemquam mea mordet hominem canis. Ibi commotior Ahala baculo confringit Lyciscæ caput, « Ne timeas, inquiens, mi Publi, nunquàm enim quemquam verbero canem.

27. Le cordonnier expéditif.

Scurra quidam, nomine Mardo, factâ sponsione, conficiendo calceorum pari ne decimam quidem horæ partem insumere debebat. Et jàm sutores, tanti judices certaminis, consederant. Ille profert scalprum et ocreas, alutâque calceis inutili resectâ, aufert brabeum.

28. Moyen de coucher seul.

Idem Mardo, quum ad forum nundinarium se contulisset, ibique ob summam hominum frequentiam esset edictum, ut in diversoriis omnibus bini singulis lectis cubarent hospites, obesissimo contubernali quem erat sortitus se liberare statuit. Itaque statìm à cœnâ, restim vidulo suo depromptam circumspicit satis sollicitè, vel levissimum vitium nescio quâ mussitatione damnare visus. Mox ceram quo-

que depromit, quâ restim sedulò ac diù illinit. Restis deniquè vim omnibus modis periclitatus necdùm probat. Mirante homine cur sic ille nocturnam operam funi illuderet, « Nescis, ait Mardo, quantùm detrimenti famæ nostræ afferre possit hujus laquei vitium, quem cràs latronis, non minùs obesi quàm tu ipse es, collo inducere debeo. Nempè hæc mea tanta laus peritissimi carnificis et tortoris egregii, cum illius corpore (quod avertant superi) tota corrueret. » Homo exterritus tali contubernio, ne extremam quidem lectuli spondam tangere voluit.

29. La double complaisance.

Barsabam (p. 69) interdùm homines adibant robore corporis insignes, vires cum ipso experturi. Die quodam, ex ultimis Normanniæ finibus, vir cujus lacertos perpetuo triumpho nobiles et Cadomum et Rothomagus et Falesia dudùm concelebrabant, intrà angustos Neustriæ limites æstuans, Valencenam equo vehitur. Quæsiti gigantis conspectu nequaquàm territus desilit ad pedes, nervisque fidens offert se certamini. Præclara jàm minantem, jàmque opima spolia exspectantem corripit Barsabas, et suprà murum haud humilem in domûs proximæ hortum transmittit. Neustrius Milo, inopino ictu primùm sopitus, brevì ad sese rediit; quumque artubus contusis ægrè surrexisset, victorem non visum ultrò compellavit his

verbis : « Amice, fave quæso iterùm, et, ut jàm pedibus parùm valeo, nunc equum meum mihi projice. »

30. Le Navet.

Ludovicus Galliarum rex, ejus nominis undecimus, cùm, rebus domi turbatis, peregrinaretur apud Burgundiones, occasione venationis nactus est familiaritatem cum Conone quodam, homine rustico, sed animi simplicis et sinceri. Ad hujus ædes frequenter diverterat rex ex venatu, et apud eum magnâ cum voluptate vescebatur napis.

Mox ubi Ludovicus restitutus jàm rerum potiretur apud Gallos, submonuit Cononem uxor, ut regem veteris hospitii commonefaceret, adiret illum et napos aliquot insignes illi dono adferret. Tergiversatus est rusticus, se lusurum operam ; sed vicit uxor. Deligit Conon napos aliquot insignes ; accingitur itineri. Verùm ipse per viam captus illecebrâ cibi, paulatìm devoravit omnes, uno duntaxat excepto, insigniter magno.

Ubi Conon prorepsisset in aulam, quà rex erat iturus, statìm agnitus est à rege et accersitus. Ille magnâ cum alacritate detulit munus ; rex majore cum alacritate accepit, mandavitque cuidam è proximis ut diligenter reponeretur inter ea quæ haberet carissima. Hominem jubet secum prandere ; à prandio egit ipsi

gratias, et cupienti repetere rus suum, jussit pro napo numerari mille nummos aureos.

Hujus rei fama quum per omne regis famulitium esset pervagata, quidam ex aulicis dono dedit regi equum non inelegantem. Verùm rex intelligens illum, provocatum benignitate quam præstiterat Cononi, captare prædam, vultu majorem in modum alacri accepit munus, et è proximo cubiculo adferri jussit cistulam serico diligenter obvolutam, quam suâ manu dedit aulico, addens sibi videri benè pensatum equum mille nummis aureis. Digressus aulicus dum tollit cistulam, pro thesauro reperit Cononis napum, jàm subaridum.

VARIÉTÉS.

10. M. le docteur Guillemeau jeune, auteur de la *Flore des Deux-Sèvres*, et rédacteur-propriétaire du journal de ce département, vient de publier dans sa feuille, en deux pages d'excellent latin, l'annonce de notre *Hermes* et l'analyse des trois premiers numéros. On peut en conclure que ce savant médecin compte parmi ses souscripteurs un grand nombre de personnes éclairées. Voici quelques passages de cet article.

Dignissima mihi Ludovici decimi quarti sæculo videtur susceptio talis, quam excogitavit primus omnium Barbirius. Sua jura mox adepta fuerit prisca Romanorum lingua, à nobilissimo humaniorum litterarum reparatore in

lucem restituta, inque quotidianum usum conversa ..... In *noctibus fabulosis* lectori sat longas offert editor joculares narrationes, sale conditas attico, salvis simùl pietate et morum castitate : in gratiam enim christianæ juventutis opus illud fuisse compositum indicat satis per se libellus.

Qui jàm editi fuerunt mensibus Junio, Julio, Augustoque numeri, egregiè ad hanc diem amplissimam spem, quam nobis dederant et judicium et elegantia et varia editoris in litteris scientia, comprobârunt. Latinarum qui vigiliis Musarum delectantur, plerisque ignota carmina è veterum libris excerpta avidissimè legerunt. Inter recentes, de *mobilitate fortunæ* (p. 8) Sarbievii ode splendescit; *Circes lyricum carmen* (p. 11) in versus latinos versum à Barbirio ; *Gymnasii recordatio* (p. 53) auctore Billecocq ; carmen domini Lemaire (p. 108); de scientiâ nauticâ vaporis ope ampliatâ (p. 112) carmen, in quo non minùs eleganti quàm facili venâ physicam mathesemque structuram et explicationem, cuilibet alii fortè insperabilem, Barbirius descripsit. Inter fabellas joculares avidè percurruntur à *Medico potio scripta* (p. 23) verissimum certè factum, cujus do testem avum meum Guillemeau, doctorem medicum; *chirurgi non etiàm baccalaureati* (p. 68); *cæsitium denticulatum* (p. 124); *attenuata urbanè*

verba (p. 125) auctore Barbirio; plurimæque aliæ variæ, è variis auctoribus, sive strictà, sive solutà oratione scriptæ, in quibus judicium, elegantia verborum, et romana urbanitas semper florent.

Non modò gymnasiorum præsidibus, professoribus, institutoribus privatis publicisque linguæ latinæ necessarium Hermem censeo; verùm et medicis, causidicis, judicibus, sacerdotibus, cunctis demùm litteratis viris quibus felicis illius ævi, quo Mecœnatis hilarium convivarum suavissimis operibus delectari solebant, desiderium est ingens.

On a remarqué cette année, au concours général de l'Université, d'excellentes compositions. Nous nous proposons d'en publier quelques-unes; elles feront voir que l'on fait encore de très-fortes études, quoiqu'en dise une foule de juges aussi prompts à décider la question qu'incapables de l'examiner. M. Jacob Rinn, élève du collège royal de Bourbon et de l'institution de M. Bintot, qui vient d'obtenir le prix d'honneur avec le premier prix de grec et le premier accessit de discours français, n'est pas un sujet moins distingué que les plus célèbres lauréats de l'ancienne Université. Nous saisissons cette occasion de le remercier publiquement d'avoir bien voulu accepter l'envoi perpétuel de l'*Hermes*. C'est un témoignage d'estime que nous donnons en sa personne à la Jeunesse studieuse, et que nous renouvellerons chaque année pour l'heureux vainqueur qui aura conquis la première palme, à moins que l'éclat de son triomphe ne lui fasse dédaigner un si faible présent.

NOCTES FABULOSÆ.

PSYCHE.

CAPUT PRIMUM.

1. Naissance et beauté de Psyché.

Erant in quâdam civitate rex et regina. Hi tres numero filias, formâ conspicuas habuêre. Sed majores quidem natu, quamvis gratissimâ specie, idoneè tamen celebrari posse laudibus humanis credebantur : at puellæ junioris tàm præclara pulchritudo neque exprimi, ac ne sufficienter quidem laudari sermonis humani penuriâ poterat.

Multi civium et advenæ plurimi, quos eximii spectaculi rumor studiosâ celebritate congregabat, divinæ formositatis admiratione stupidi, puellam, ut ipsam prorsùs Venerem, religiosis adorationibus venerabantur. Jàm proximas civitates et finitimas regiones fama pervaserat Deam Cythercam in mediis conversari hominum cœtibus, vel certè Venerem alteram novo esse ortam semine.

2. On lui rend les honneurs dus à Vénus.

Sic immensùm procedit in dies opinio ; sic ad insulas quoque porrecta fama pervagatur. Jàm multi mortalium, longis itineribus atque

altissimis maris meatibus, ad sæculi nobile specimen confluebant. Paphum nemo, Cnidum nemo, ac ne ipsa quidem Cythera, ad conspectum deæ Veneris, navigabat. Hujus sacra deseruntur, templa deformantur, cæremoniæ negliguntur, incoronata squalent simulacra, aræ frigent viduæ. Puellæ verò supplicatur, cui per plateas commeanti populi frequenter flores sertos et solutos offerunt.

Hæc honorum cœlestium ad puellæ mortalis cultum immodica translatio, veræ Veneris vehementer incendit animos. Et indignationis impatiens, quassantique capite fremens altiùs: « Non ista ait, quæcumque est, impunè meos honores usurpaverit. Jàm faxo ut illam etiàm ipsius formositatis pœniteat. »

3. Jalousie de la déesse.

Vocat confestìm puerum suum, pinnatum illum, qui, flammis et sagittis armatus tot et tanta committit flagitia. Hunc, quanquàm genuinâ licentiâ satis procacem, verbis quoque insuper stimulat. Ambo simùl in terras devolant, et Psychen, hoc enìm nomine puella nuncupabatur, Venus ostendit Cupidini. Dea totam narrat filio de formositatis æmulatione fabulam; gemensque ac fremens indignatione:

« Per ego te, inquit, maternæ caritatis fœdera, nate, deprecor, vindictam tuæ parenti, sed plenam, tribue. Feri sagittarum tuarum

venenatissimâ contumacem puellam, ità ut amore flagrantissimo teneatur hominis extremi, cui nec dignitatem nec patrimonium fortuna tribuerit, adeòque infirmo corpore et deformi aspectu ut per totum orbem non inveniat miseriæ suæ comparem. »

4. Aucun époux ne se présente pour Psyché.

Sic effata, et filium diù suaviata, proximum littus petit. Illicò adsunt Nerei filiæ, chorum canentes, et maria persultantes Tritonum catervæ: hic conchâ sonanti leniter buccinat, ille serico tegmine flagrantiæ solis obsistit inimici; alius sub oculis Deæ speculum prægerit; alii bijugem currum stipare gaudent, circumfusi. Tali ad Oceanum pergens Venus cingitur exercitu.

Intereà Psyche, cum tantâ pulchritudine, nullum decoris sui fructum percipit. Spectatur ab omnibus, laudatur ab omnibus; nec quisquam aut rex, aut regius, aut de plebe saltem, ejus nuptiarum petitor accedit. Mirantur quidem divinam speciem, sed ut simulacrum fabrè politum mirantur omnes. Jàm pridem hujus duæ majores sorores regibus nupserant; at Psyche, virgo domi residens, deflet desertam suam solitudinem.

5. L'oracle la condamne à un hymen effrayant.

Illa quidem, ægra corporis et animi saucia, laudatam omnibus odit in se formositatem.

Sed infelicissimæ filiæ miserrimus pater, cœlestia suspicatus odia, Milesii Apollinis vetustum percontatur oraculum, precibusque et victimis à tanto numine virgini petit nuptias et maritum. Deus respondit :

« Montis in excelsi scopulo deserta puella
Sistatur, cultu squalida funereo.
Natæ ne speres mortali stirpe maritum,
Te manet immitis vipereusque gener.
Qui, non vitandâ volitans super æthera pennâ,
Cuncta ferox ferro vulnerat, igne petit.
Quem metuunt superi, magnus quem Jupiter horret,
Semotique tremunt vel Phlegethontis aquæ. »

CAPUT SECUNDUM.

6. Deuil général.

Rex olim beatus, auditâ vaticinatione, tristis domum redit, suæque conjugi præcepta sortis enodat infaustæ. Fletur diebus plusculis; sed jàm obediendum est Apollini. Jàm feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur. Jàm tædæ atram spargunt fuliginem; tibiæ flebile sonant; cantusque Hymenæi lugubri finitur ululatu. Puella nuptura deterget lacrymas ipso suo flammeo.

Regiæ domûs triste fatum cuncta etiàm civitas congemit, et luctui publico congruens edicitur justitium. Sed monitis cœlestibus parendi necessitas misellam Psychen ad destinatam

pœnam efflagitabat. Perfectis igitur feralis thalami cum summo mœrore solemnibus, toto prosequente populo, vivum producitur funus, et lacrymosa virgo comitatur non nuptias sed exsequias suas.

7. Psyché se résigne à son sort.

Dùm mœsti parentes, tanto malo perciti, nefarium facinus perficere cunctantur, Psyche talibus eos adhortatur vocibus : « Quid infelicem senectam fletu diutino cruciatis? quid canitiem scinditis? quid pectora tunditis? Hæc erunt vobis egregiæ meæ formositatis præclara præmia. Quùm gens et populi celebrarent nos divinis honoribus, quùm novam me Venerem ore consono nuncuparent, tunc dolere, tunc flere, tunc me jàm quasì peremptam lugere debuistis. Jàm sentio, jàm video solo me nomine Veneris periisse. Ducite me, et cui sors addixit scopulo sistite. Festino felices istas nuptias obire; festino generosum illum meum marítum videre. Quid differo? quid detrecto venientem qui totius orbis exitio natus est? » Sic profata virgo conticuit : ingressuque jàm firmo, populi prosequentis sese pompæ miscuit.

8. On l'abandonne sur un rocher sauvage.

Itur ad constitutum scopulum montis ardui : cujus in summo cacumine statutam puellam cuncti deserunt; tædas nuptiales quibus præ-

luxerant ibidem lacrymis suis extinctas relinquunt, dejectisque capitibus, domuitionem parant. Miseri parentes, tantâ clade defessi, clausæ domûs abstrusi tenebris, perpetuæ nocti sese dedidêre.

Psyche autem pavens et trepida, in ipso flebat scopuli vertice. Mox advolat mœrenti deus Zephyrus ac vestium omnes sinus aurâ molliter spiranti replens, virginem levat per aera; stupentemque vehens tranquillo spiritu, per devexa sensìm in subditam vallem delabitur, florentisque cespitis gremio dulcissimum onus reclinat.

9. Zéphyr la transporte dans un séjour enchanté.

Psyche teneris et herbosis locis, in ipso toro roscidi graminis suavè recubans, tantâ mentis perturbatione demùm sedatâ, conquievit. Jàmque sufficienti somno recreata, placidiore surgit animo. Videt lucum proceris et vastis arboribus consitum; videt fontem vitreo latice pellucidum medio luci meditullio. Propè fontis allapsum, domus regia est, non manibus humanis sed divinis artibus ædificata. Jàm scies ab introitu primo Dei cujuspiam luculentam et amœnam te videre sedem.

Summa laquearia citro et ebore curiosè cavata subeunt aureæ columnæ; parietes omnes argenteo cælamine conteguntur, bestiis et id genus pecudibus occurrentibus ob os introeun-

tium. Mirus sanè magnæ artis homo, imò semideus, vel certè deus argumentum ità tractavit ut materiam opere superaret. Pavimenta ipsa lapide pretioso cæsim diminuto, in varia picturæ genera discriminantur. Beatos iterùm ac sæpiùs qui super gemmas et monilia calcant! Jàm cæteræ partes immensæ domûs stant pariete massis aureis solidato, et splendore proprio coruscant, ut diem suum sibi domus, licet sole nolente faciat; sic cubicula, sic porticus, sic ipsæ valvæ fulgurant.

10. **Elle y est servie par des voix et par des êtres invisibles.**

Invitata Psyche talium locorum oblectatione propiùs accedit; et paulò fidentior intrà limen sese agit. Mox progressa, singula miratur. Nec est quidquam quod ibi non est. Hoc autem erat præcipuè mirificum, quod nullo vinculo, nullo claustro, nullo custode thesaurus ille muniretur. Hìc ei sese offert Vox quædam absque ullo corpore, dicens : « Domina, quid tantis obstupescis opibus ? tua sunt hæc omnia. Nos, quarum voces accipis, quamvis corpora non videas, sedulò tibi præministrabimus. »

Psyche, Voces formâ carentes audiens, statim se ad balneas duci jubet et lavacro fatigationem diluit; dein mensæ variis dapibus instructæ libens accumbit. Ei vina nectarea, plurimaque eduliorum fercula, spiritu quo-

dam impulsa, nullo serviente subministrantur. Nec quemquam tamen illa videre poterat, sed verba tantùm audiebat excidentia, et solas Voces famulas habebat. Post opimas dapes, quidam introcessit, et cantavit invisus; alius citharâ pulsavit, quæ nec ipsa videbatur. Tunc modulatæ multitudinis conferta vox ad aures virginis affertur, ut, quamvis hominum nemo appareat, chorus tamen esse pateat.

(*La suite au prochain numéro.*)

Matières de vers proposées pour le numéro du premier novembre.

(Les Pièces doivent être adressées au Rédacteur pour le 10 octobre au plus tard.)

7°. Les Catacombes ou le jour des Morts pièce d'une cinquantaine de vers.

8°. Madrigal à une Dame qui prend du tabac.

Matières de vers proposées pour le numéro du premier décembre.

(Les Pièces doivent être adressées au Rédacteur pour le 10 novembre au plus tard.

9°. Le Mélodrame.

10°. Inscription pour un cadran solaire.

HERMES ROMANUS,

OU

MERCURE LATIN.


N° 5. — 1er Octobre 1816. — Tome I.

L'HERMES est publié le premier de chaque mois, à commencer du premier juin 1816, par cahiers de 48 pages in-12. Le prix de l'abonnement est de QUINZE FRANCS par an, port franc par la poste. On ne peut souscrire que pour l'année entière, à Paris, rue du Cloître Notre-Dame, n° 4. On s'abonne aussi chez tous les Libraires et les Directeurs de poste de l'Europe. Les lettres non affranchies resteront au rebut.

VETERUM CARMINA.

8. Catulle se moque inhumainement d'un pauvre hère, nommé Furius, qui mourait de faim. Ce n'est pas la seule fois qu'il ait abusé de son talent.

Furi, cui neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis;
Verùm est et pater, et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchrè tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge ligneâ parentis.
Nec mirum: benè nàm valetis omnes;
Pulchrè concoquitis; nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.



Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole et frigore et esuritione.
Quarè non tibi sit benè ac beatè?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque et mala pituita nasi.

Hæc tu commoda tàm beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi;
Et sestertia, quæ soles precari,
Centum, desine: nàm sat es beatus.

RECENTIORUM CARMINA.

54. Boileau avait été invité à dîner le 12 décembre 1701 au collège de Beauvais à Paris, où il avait fait ses études. Ce grand poëte avait déjà le titre d'historiographe de France. Charles Coffin, qui devint depuis principal du même collège et recteur de l'Université de Paris, composa l'ode suivante:

Qui plurimo Urbem defricuit sale,
Qui bella dixit ludicra, vatibus
Præcepta qui seris reliquit,
Æmulus ille poeta Flacci;

Io Bolæus Bellovacam domum
Musis amicus quàm coluit puer,
Subire dignatùr vocatus,
Nec tenuem facilis recusat

Conviva mensam, Quis mihi splendido
Largè reponet ligna foco super?
Adeste. Lances, cantharique,
Munda viro niteat supellex.

Dulcem elaboret simplicior cibus
Olli saporem: nè macilentior
Exstans superbo mentiatur
Gallus avem teneram catino,

Adustus alvum nè gracilem offerat
Palumbus : acri nè malè pertinax
Gallina responset palato,
Neve gravem det oliva odorem.

Vates ineptos ludere quàm vafer,
Insulsa risu spargere tàm bonus
Convivia, explorat severo
Idem epulas, numerosque gustu.

Tuque, ô Remensi quæ domitum tegis
Prælo racemum, nobilis Amphora,
Ne parce prandenti Bolæo
Fundere limpidiora vina.

Non ille, quanquàm grandia Principis
Facta ordinat, te negliget horridus.
Quin impetus addes calenti
Magnum ad opus generosiores.

---

55. Le mois de Septembre vient de voir couronner la Rosière de Surênes. Cette cérémonie aussi simple que touchante a enflammé la verve de M. Billecocq (p. 53). Ce poëte s'est acquis le droit de chanter la vertu.

Viribus exhaustis, longo et devicta labore,
Jura extrema Themis dederat; populoque jubebat,
Quæ patuêre decem per menses, atria claudi,
Manè frequentantûm turbâ nimis atria plena!
Tûm, libertatis media inter gaudia primæ,
Ad dulces epulas simùl hospitiumque benignum
Acciti, petimus, conjux, ego, nataque vicum
Vitibus haud celebrem, Septembri ineunte, Surenas.
Festa dies aderat, sancto celeberrima more,
Annua quâ statuit Virtuti præmia Virtus.
Scilicet eligitur, sociis è pluribus, una
Quæ meritis alias longè superaverit omnes,
Nec minùs ac cunctis notâ pietate, puella.

Felix illa Rosam accipiet, dotemque minoris
Quam pretii certè credas; Rosa namque decoro
Sola videretur certamine digna puellis.
Olìm (sic perhibent) divo curante Medardo,
Istum prima habuit, retinetque Salencia morem.
Solemnem ad pompam fit magnus ab urbe quotannis
Concursus: vanæ tot tantaque tædia vitæ
Perpessis studio dum ficta sequuntur inani,
Nascitur è vero vera atque ignota voluptas.
Conveniunt omnes in templum; nos quoque: sancto
Numinis implet ibi præsentia corda pavore;
Præsidet ipse Deus virtutis namque triumpho.
Ad dextram, mediâ stat templi in parte cathedra,
E ligno fabricata quidem, sed et undè loquente
Aurea verba fluunt divinæ interprete legis.
Sublime, ad lævam, struxerunt amphitheatrum,
Quo super, ornatæ vittis et floribus, unà
Insedêre piæ matres timidæque puellæ,
Quæque Rosâ quondàm, multâ cum laude, fuêre
Donatæ, gratum sanè cernentibus agmen.
Haud procùl à gradibus sacrati altaris, at ipsum
Extrà adytum, formâ simplex, tectusque tapete
Est abacus viridi, juxtàque sedilia, vici
Præsidibus, gravibusque viris, scribæque parata.
Mox per legatos matrona accersitur illa
Nobilis, electæ dotemque Rosamque puellæ
Quæ dabit; huic pulchro majestas plurima vultu.
Egregiâ incedit comitum stipante catervâ,
Et sibi servatam ad sedem, quæ nempè sinistram
Attingit partem altaris, sed proxima, tendit.
Sed nihil, intersint nisi Relligionis honores,
Augustum! Ecce crucis signum venerabile fulget;
Moxque sacerdotum cantus audimus, et almæ
Virginis ac Christi ferventes laudibus hymnos.
Cantibus at postquàm finem imposuêre, verendus
Ecce Surenæum qui Pastor curat ovile,

Surgit consessu è medio, ascenditque cathedram.
Instauratæ hujus tantâ pietate diei
Ille decus memorat, repetitque ab origine causas;
Virtutique libens meritos persolvit honores,
Cui sua nunc merces, sua præmia digna parantur.
Nunc et adest pago civis qui præsidet: omnes
Conticuêre, dato signo; cujusque puellæ
Spes simùl atque timor pertentant pectus; apertis
Nos tabulis omnes pendemus ab ore legentis.
Arrectas fertur Madalenæ nomen ad aures!
Obtinuit Madalena Rosam! Madalena, parentes
Quæ, pia nata, suos, duro devota labori,
Sustentat, vigilans est fratribus altera mater,
Et, pauper quamvìs, jamdudùm novit egeno
Auxiliùm præstare frequens, ægrisque levamen.
Spectantûm quæsita oculis, votisque vocata,
Accedit, mediamque duæ comitantur euntem
E sociis, quarum (tenuis nec gloria) laude
Una pari sese dignam ferè quæque probavit.
Æquis tendentes ad magnum altare puellæ
Passibus, hùc veniunt tres illæ, et, poplite flexo,
Supremum, fervent quo pectora, numen adorant.
Angelicos vultus miramur, et ora rubore
Suffusa ingenuo passìm, lacrymasque decoras.
Deindè locum, sed sola, petit Madalena, sedentem
Conspicias ubi Matronam, victricia demùm
Tempora quæ gestit meritâ cinxisse coronâ.
Ornat virgineum caput en Rosa virgine digna!
En fit natalis Madalena Rosaria vici;
Accipit et dotem quâ, fortunata, futuri
Conjugii exiguis possit succurrere rebus.
Innocuo Omnipotens virtutis at ipse triumpho
Annuit ex altis penetralibus, et sibi gratos
Mox fœcundabit cœlesti rore labores.

56. On venait de mettre à la grille du collège de Sainte-Barbe des plaques de fer qui empêchaient de voir dans la rue. Un rhétoricien fit à ce sujet la pièce suivante; c'était M. Planche (p. 18), aujourd'hui professeur de rhétorique au collège royal de Bourbon à Paris. Il n'y a rien de plus gracieux que ce petit tableau. La pièce a été faite peu de temps après le traité qui a mis fin à la guerre d'Amérique.

Claudimur, ô Socii, vero jàm carcere: nostros
Olìm claustra pedes hinc tantùm exire vetabant;
Nunc ipsos prohibet compages ferrea visus.
Ergò vale jàm nunc vicinia tota; valete
O nostram quicumque viam lustrare soletis.
Jàm non antè oculos transibunt ordine longo
Matres atque viri, juvenesque, senesque vicissim;
Rhetor; causidicus; tonsorve in vestibus albis;
Veste vel in nigrâ doctor; nunc molle susurrans
Musicus; aut blando vates sua carmina risu
Ipse sibi recitans; lepido nunc trossulus ore,
Electo ponens vestigia singula saxo.
Hæc oculos quondàm recreabat scena: peracta est
Fabula; clauserunt ferrata aulæa theatrum.
Undiquè parietibus teneor conclusus opacis,
Captivisque oculis spectacula cernere cogor
Dudùm nota mihi; nunc tædet semper eosdem
Hìc vultus, facies hìc cernere semper easdem.
Quò me cumque fero atque errantia lumina verto,
Discipulos semper video, semperque magistros.
Parva queror: majora mihi lugenda supersunt.
Olìm si validis pila surgeret acta lacertis
Altior, atque domûs trans ardua tecta volaret,
Protinùs inclamans currebam ad claustra, pilamque
Sæpiùs ingeminans, iterùmque, iterùmque rogabam.
Nec mora; dùm supplex oro quoscumque, viator
Justitiæque tenax et servantissimus æqui
Hanc persæpè mihi dextrâ referebat amicâ;
Atque ego, quum dignas tanto pro munere grates

Reddideram, ad socios lætus saliensque redibam.
Nunc vano clamore pilam, vanisque reposco
Vocibus; heu! voces impervia claustra repellunt.
Intereà domino non redditur illa priori,
Atque aliis pulsanda fugit, jàm non mea, palmis;
Ergò humilem cogor nunc ludens radere terram
Atque pilam tenui pulsare inglorius ictu.
Quin etiàm, sicco dùm gutture lassus anhelo,
Exhaustæ fauces emptis uvescere pomis
Jàm nequeunt, murus nàm ferreus obstat ementi
Vendentique simùl. Tristis Pomona recedit,
Heu! plenis referens venalia dona canistris,
Et sublata sibi commercia luget, utrique
Dùm reddit Lodoix commercia libera mundo.
Si quandò vetitos egomet mihi fortè paravi
Arte aliquâ fructus; quæsitis parcere cogor
Providus, atque siti pyra seposuisse futuræ!
Sed quid vana queror? non mutant fata querelæ!
Ferrea compages manet, æternùmque manebit.
Durum! sed levius reddit patientia quidquid
Emendare nefas: dicenti credite Flacco.

---

57. Un Médecin du siècle de Molière (on sait quelle différence il y a entre les docteurs de ce temps-là et ceux du nôtre) laissa parmi des papiers de famille une instruction autographe qu'il avait pris la peine de rédiger pour son fils, coiffé depuis huit jours du bonnet de docteur. Ce morceau curieux a été donné comme matière de vers notre année de rhétorique.

Quum jàm, nate, gravet segni me fœda senectus
Pondere, nec priscos valeam tolerare labores,
Fungere muneribus nostris; has accipe curas,
Curas, nate, leves; artemque edisce paternam.
Jàm te, nè credas specie deceptus inani
Magnæ molis opus morbos sanare, monebo:
Nos non sanamus; satis est sanâsse videri.

Quid stas attonitus? Mirari desine; vana
Non loquor: en artis tibi nostræ arcana recludam.
Perfacilis labor est; tamen hunc immensa sequuntur
Commoda, multus honos et multa pecunia: nàmque
Pinguia jejunas comitantur præmia laudes.
Incipiam. Primùm doctrinam è crinibus emptis
Sume tibi; quidquid nescis aliena docebit
Te coma, tergemino pendentibus ordine cirris
Luxurians, humerosque tegens et candida terga,
Nàm nigræ niveo sordent benè pulvere vestes.
Utere cæsarie: medicorum est maxima virtus
Cæsaries, totam crebrò quæ continet artem.
Non tibi pauca etiàm sunt advertenda: severos
Contorquere oculos, longâque ætate verendum
(Qualis hic est) humero petasum supponere lævo.
Prætereà incurvâ nitatur arundine pronum
Corpus, et incessu viridem languente juventam
Dissimulet; tibi frons sulcos mentita senescat:
Sulcari rugis decet asperioribus ora,
Si quem commendat longa experientia rerum.
Nec satìs est: doctus sedeat tibi pallor in ore,
Horreat et macies veneranda in corpore toto.
His delusa notis, fessam plebs credula mentem
Conjicit assiduo dudùm incubuisse labori;
Quò magis hæc stupeat, quamvìs nil mente revolvas
Aut nugas meditere, tacens similisque putanti
Multa, sede immotus; constringe hærentia labra.
Interdùm tamen et surges; tùm græca, latina,
Gallica verba move, planèque carentia sensu.
Ægroti ad lectum quotiès accesseris, olli
Morbum exponenti, de morbo multa querenti
Innuere inflexâ paulùm cervice memento.
Deindè tuo jussu promatur lingua: malignis
An gravis infectos vitiari humoribus artus
Arguat, an siccas deformet lurida fauces.
Mox tacitus tenta subjecto pollice venam.

Denique linteolo nares emunge; quaterque
Exspue; ter tussi. Tùm sacra silentia rumpens,
Plurima de stomacho, cerebroque ac ventre loquaris,
Et quemvis quovis appella nomine morbum:
Facundæ nec enìm medicorum nomina fraudi,
Pulmonis tabes, angina, chiragra, podagra,
Lumbago, pleuritis, hydrops et cætera desunt.
In promptu tibi sit verborum larga supellex;
De numero quæcumque voles medicamina sume
Et liquida, et solida, et durum solventia ventrem;
Sudorem insolitum, vomitusve moventia anhelos.
Si gravis est morbus, morbum producere cura
In menses aliquot; si non gravis ille, gravabis:
Est medici virtus ægrum retinere jacentem,
Et retinere diù. Sic alta pecunia crescit,
Aurea sic nummis impletur dulcibus arca.
At tua luctantem si cura occiderit ægrum,
Nè quidquam timeas; et nos occidimus olìm
Innumeros: homine extincto, de sorte queruntur.
Quin etiàm non parva tibi pro cæde rependet
Præmia, nummatis cumulans te laudibus hæres.
Viribus at propriis morientem ad limina vitæ
Si victrix morbi natura retraxerit, omnis
Non sine muneribus veniet tibi gloria facti.
Ille ego qui molli vectus per compita curru
Impedioque vias, peditumque hinc indè vagantes
Prodigus excussâ conspergo fæce catervas,
Nil aliud quàm quod docui te, nate, sciebam.
Macte animo, et medicus jàm nunc assuesce vocari.

BARBIER-VÉMARS.

---

58. Sur le nouveau jet d'eau du Palais-Royal (p. 109).

Augiæ stabulum totus vix eluit amnis:
Urnula quid faciet sordidiore loco?

Eugène BARBIER-VÉMARS, fils.

59. Le bon Curé de village. -- Extrait d'une fort belle pièce de 250 vers, que l'auteur nous a adressée. Sa longueur ne nous permettant pas de la publier toute à-la-fois, nous la ferons connaître par fragmens : notre cadre comporte tout au plus un morceau d'une centaine de vers.

Præsidet hîc senior, qui vitâ et voce, sacerdos
Felicem populum lætâ sub pace gubernat;
Qui legum observans, nec cæco fervidus æstu,
Jura ministerii parcit transire; nec ardet
Nominis insani tumidæve cupidine mitræ.
Se magnum satis esse putat, si carus ovili est.
Ille tui servans vestigia, Christe, senatûs,
Prædulci meruit pastoris nomine dici.
Nunquàm mentitis fallax sapientia verbis,
Casta, die festo, corrupit gaudia pagi.
Indiget; at turbæ succurrit egenus egenæ.
Si senis antè toros, animâ fugiente, vocatur,
Advolat; et sævos permulcens voce dolores,
Frigida jàm letho placidâ spe corda serenat:
« Nè timeas, frater, necis insuperabilis ictus;
Ad numen remeas, numen tibi brachia tendit. »
Erigitur moriens, animamque interritus efflat.
Quum reparat fractas, suspenso vomere, vires
Agricola, et requiem tauris indulget et arvis,
Rusticus antistes, Fenelo sylvestris, amicâ
Voce pii documenta refert blandissima Christi;
Nec revocat stolidos inter pugnata magistros
Prælia, nec laqueis sese implicat, undè nec olìm
Calvinus potuit, nec sese exsolvere Prosper.

J. P. F. de C.

---

60. Une Soirée d'automne ou la Mélancolie (extrait de la même pièce).

Jàm ferus Arcitenens cœli de vertice cornu
Flexerat, et madidâ vastabat arundine terras;

Jàm colles et nudus ager, spoliataque flore
Immensis oculos pascebant prata ruinis.
Tùm procùl à turbâ, labentis conscius anni,
Mollia per placidos traducebam otia campos.
Ecquis enim blandi perculsus ruris amore,
Musarum studio incensus, facilisve moveri,
Simplicis autumni non hæret imagine captus?
Passibus ut lentis pallentes vespere valles
Proculcare dolor, defixo lumine, gaudet!
Ut nemorum latebras et venti murmura captat,
Qui decus extremum flaventi decutit ulmo!
Nescio quâ cæci fremitûs dulcedine tangor,
Stridula mobilibus si fortè impellitur auris
Sylva; diù cari, sævoque heu! funere rapti
Per frondes videor socii exaudire susurros.

J. P. F. de C.

---

61. Fin de la traduction inédite du poëme de la *Maison des Champs*, de M. Campenon, membre de l'académie française, par M. Bouvet de Cressé, maître de pension à Paris.

Vaste séjour de l'antique opulence,
Brillant Choisy! le banni que la France
Voit revenir sur ses bords plus heureux,
En vain demande aux rives de la Seine
Tes murs vantés, ta pompe souveraine;
Sous les parvis que naguère ses yeux
Ont vus peuplés de serviteurs nombreux,
La ronce croît et s'étend; le reptile
Siffle en passant sur le marbre inutile,
Usé jadis sous le pied des flatteurs.
L'oiseau des nuits frappe de ses clameurs
Les fûts brisés, la coupole écroulée;
Et seul, le lierre, ami des monumens,
Sur ces débris, qu'amoncèle le temps,
Jette, au hasard, sa verdure isolée;

Tandis qu'auprès du palais dévasté,
Se dérobant aux fureurs intestines,
La ferme, heureuse en son obscurité,
S'élève en paix au sein de ces ruines.

Vasta domus! veterum sedes ditissima regum,
Nobile Cauciacum, placidus quod Sequana lambit!
Exsul qui patriam reperit, melioraque novit
Fata redux, inhiat tua frustrà in littore noto
Mœnia clara petens, pompas et principis aulam.
Vestibulum antè ipsum, primoque in limine (cursu
Nuper ubi, numerosa cohors, trepidabat anhelo
Turba ministrorum) horrescunt spinæque rubique.
Sibila dat coluber, subjectaque marmora radit,
Vilis adulator quæ plantâ trivit inani.
Fracta columnarum capita et laquearia rupta,
Triste canens, pulsat nocturnis Bubo querelis;
Solaque, quam monumenta juvant, nullo ordine frondes
Projicit increscens hedera, errantique comarum
Germine vana tegit tumulat quæ rudera tempus.
Regificas juxtà moles, luxumque jacentem,
Villula quæ felix latuit, stat saucia nullo
Vulnere, et in mediis manet inconcussa ruinis.

---

62. M. George Canning, l'un des hommes d'état les plus distingués de l'Angleterre, a fait d'excellentes études au collège d'Eton et à l'université d'Oxford. On a retenu ses vers sur cette manie de médire qui est universelle chez les vieilles filles.

Alterius vitiis illudere Delia, probris
Læta, solet, chartâ mendacior ipsa diurnâ:
Virginibus quædam ex illis, quibus invida vultum
Annorum series turpavit, et atra senectus
Innuptis tandem obrepit; quibus una voluptas
Absentes dictis mordacibus et sale nigro
Lædere, et insontes falsis maculare puellas
Criminibus. « Natos fertur peperisse gemellos

Phyllis, ait; veris nil me juvat addere : tantùm
Credula dimidio excipiam quodcumque per urbem
Fama serit. Sed sunt fucata Amaryllidis ora,
Crede mihi, falsæque comæ; sed, proh dolor! ipsa
Horresco referens, maternos nocte penates
Flavia deseruit cum servo. O tempora! mores
Heu quàm mutati à nostris! Jàm nulla decori
Virginibus cura est, reverentia nulla parentûm. »

---

63. Traduction partielle de la fable des Lapins, par Lafontaine, livre 10, fable 15.

Quum liquidis Phœbus languentia spicula campis
Immergit, nitidosve redux ascendit ad ortus,
Et fugêre umbræ, necdùm excepêre fugaces
Lumina; ut hora dolis datur opportuna parandis,
Roboreum scando, sylvarum in limine, culmen.
Atque hoc sublimis cœlo, similisque tonanti,
Si quis ab effossâ tellure cuniculus auras
Exsilit ad superas, inopino fulgure quassum
Dejicio; celerare fugam genus omne videres.
Quæ vigil aure, oculo, carpebat alacria nuper
Miscebatque thymo suavi convivia, tanto
Acta fragore cohors tutas nigrantibus antris
Præcipitata domos subit... Ecce pavore remoto,
Mox eadem tentant hilares discrimina rursùs,
Præteriti immemores, humano more, pericli.

Prosper Dufour.

---

64. Traduction de la 11e fable du 9e livre de M. Jauffret.

Equus et Adolescens.

Vidit equum juvenis pascentem in valle reductâ;
Expertemque jugi levis insilit. Ocyùs urbem
Ambitiosus eques rectâ petit. Ille retrorsùm
Atque sinistrorsùm, loca per salebrosa viasque

Difficiles pavidum sessorem raptat, et orbes
Implicat; arrectis interdùm cruribus auras
Verberat assurgens, et cursu fertur anhelo.
Venator, qui fortè vagum videt ire redire
Cursorem, « Vos, ô clamat, quò tenditis? — Atqui
Nescio. Nec meus hic quadrupes scit, quò ferat ardor
Præcipitem. » Haud aliter pueros rationis egentes
Ignarosque viæ raptat vesana cupido.

C. B.

---

65. Le Jardin Turc faisait depuis plusieurs années les délices du *Marais*, quartier de Paris où les plaisirs ne sont pas trop multipliés. La fraîcheur de ses bosquets, sa mosquée, son pont chinois, ses petites cellules de verdure et son demi-jour y attiraient souvent en pélerinage le beau monde de la Chaussée-d'Antin. Le limonadier qui tenait cet agréable établissement a tout fait vendre à la suite de quelques discussions d'intérêt avec le propriétaire. Les contemporaines d'Érostrate se sont consolées de l'incendie du temple d'Ephèse : les dames parisiennes ne se consoleront jamais de la destruction du Jardin Turc.

(Nous publions cette pièce de circonstance à la place de celle qui a été proposée sur le sujet du *Marché aux chevaux*, et qui paraîtra dans un autre cahier).

Ecce novum periit Tibur : lugete Paludis
O cives! dirâ præconis voce Voluptas
Territa, venales lucos trepidantibus alis
Deseruit; loca mœret adhùc vastata Cupido.
Nuper ubi nobis ridebat amabilis hortus,
Squalore indigno nunc sedes horret! Inane
Heu desiderium! suspiria vana! Paludis
O lugete diù cives! Dulcissima saltem
Tempora, et umbrosos saltus et amœna vireta
Nos hodiè versu memori celebrare juvabit.
Hortos læta solet, propiori nocte, subire
Turba puellarum, vigili quas lumine matres

Attentæ ignaras juvenili à fraude tuentur.
At quænam consultâ oculos rotat arte procaces
Virgo ferox, lustris duodenis fœta? Pudicam
Virtutem affectat, surdumque examen amorum
Respuit, irridetque procos invita fugaces.
Hebdomadæ emensus spatium, oblitusque tabernam,
Admotâ juvenis qui nuper totus in ulnâ,
Conducto pretio pannos vendebat heriles,
Singula lustrat ovans; errat per mille viarum
Ambages; cubito populosos remige fluctus
Scindit, et obliquo cursu de ponte Sinensi,
Per declive solum, se planum effundit in æquor;
Jàm subit arcellam fessus, calidique liquoris
Cratere ignivomo comites recreabit amicos.
Intereà ille senex, (levior cui sarcina gazæ
Obtigit, et certos pendunt æraria census)
Cervisiæ cyatho reficit malè guttur anhelum;
Nec tangit prudens mollis jucunda placentæ
Crustula; et ægrè aliquot raris ex assibus asses,
Splendidiora diù damnans convivia, ducit.
Trossulus at lævis fatuoque tenellulus ore,
Sorbet odorato lactentia vascula jure;
Huic novus auriculas nervis stridentibus Orpheus
Obtundit, duplici donec gravis asse recedat.
Hortorum extremâ secretus parte, diurna
Collegit novitatis inexsaturabilis auceps;
Et vitreos aptans rugosis naribus orbes,
Discit Hyperborei quid agatur in æquoris orâ,
Littore quæ Lybico maneat vindicta latrones.
Tu quoque secessus eademque silentia quæris,
Otia docta petens, Phœbique novemque Sororum
Sectator, longas qui rerum abrumpere curas
Et solitos quandòque cupis lenire labores:
En udo volvis Romanum sedulus Hermem
Pollice, nunc dubiâ versans ænigmata mente,
Nunc avido lectos percurrens lumine versus

Musarumque jocos, lepidâ queis arte minister
Barbirius dulcem curat condire libellum.
Quid memoro? Tibur periit! Jàm tædia festos
Excepêre dies; æternùm flete, Paludis
O cives; simili tabesce Lutetia fletu.

L. M. J. Hermel.

---

66. Vers asclépiades adressés par M. de Boinvilliers à Mr A. T..., recteur de l'académie de Douai et habile médecin.

Cæco marte movent plurima funera
Heroes : meliùs funere tu, nova
Chironis soboles, corpora vindicas.
Heroes patribus gaudia liberos
Hinc indè eripiunt : intereà patres
Natis, intereà conjugibus viros
Servas arte potens. Aonium gregem
Musarum auspiciis, tu gremio foves.
Gentis Pæoniæ, gymnasii simùl
Immortale decus (quis neget?) omnium
Mentes ut recreas arte Platonicâ,
Cautus sic reficis corpora. Quomodò
Doctrinam, ingenium, melle suavius
Laudârim eloquium? Ah carmine quo decet
Mores ingenuos, nomen et inclytum
Nostræ non opis est dicere, qui tibi,
Sic visum superis, plurima debeo.
Dî contrà tibi nunc præmia conferant
Virtus quæ meruit sidere clarior.

---

67. La création.

Tout ce vaste océan d'azur et de lumière
Tiré du néant même et formé sans matière,
Arrondi sans compas et tournant sans pivot :
A peine il a coûté la dépense d'un mot.

Le P. Lemoine.

Immensum spatiis, vestitum lumine puro,
Eductum nihilo, fictum compagine nullâ,
Quod non descripsit radius, non sustinet axis,
Dùm rotat, orbis opus verbo vix constitit uno.

LES MUSES DE JUILLY.

Epigrammes contre la pêche à la ligne. (Sujet proposé p. 144.)

68. Hamatâ piscem qui captas perfidus escâ,
Dùm brevis heu ! vitæ tempora vana teris,
Attende, ut trepidans filo hæret pendulus ille,
Sic pendere tibi, non meliore, diem.

G. P . . . y.

69. Hamo pisciculus pendet : sævissimus hostis
Et fune et ferro et fraude petendus erat !

J.-M. I.

---

70. Le mouvement perpétuel.

Vim dudùm quærunt Sapientes usque moventem,
Frustrà : Εὕρηκα ! mihi fœmina ducta fuit.
Scilicet ista movet lites noctesque diesque :
Plaudite, nàm reperi mobile perpetuum.

S., abonné de l'*Hermes*,
à Dordrecht, en Hollande.

---

71. L'embaumement inutile (imitation d'un quatrain français assez mal versifié).

Aulicus interiit; pia protinùs urna paratur
Quæ cor contineat : cor erat atra silex.

DE JOANTHO-MIGNABURE, ancien élève
de Sainte-Barbe et de Navarre.

---

72. L'homme comme tant d'autres.

Omnia quæ didicit poterat nescire Menalcas;
Omnia quæ nescit discere debuerat.

LE P. COMMIRE.

ÉNIGME.

14. Mundi principium, sæclorum finis Ego sum:
Omnia per me sunt, et sine me nihil est.
Inchoo materiem concludoque, trinus et unus.
Quanto errore tamen crederer esse Deus!

Mise en vers par B. V.

LOGOGRIPHES.

15. Quinque pedes sunt, mille humeri; cor subtrahe, clango;
Cor mihi si reddas, majores edo tumultus.

Les Muses de Juilly.

16. Purpureo vultu et suavi spiramine nota,
Picta voluptatum symbola præsto tibi.
Scissa caput, nimis heu! studiosæ crimina dextræ
Morte luo; missis prata rigo pedibus.
Sin mutilæ capitisque pedumque adimantur honores,
Basia delibo, rideo, canto, loquor.

Prosper Dufour.

---

17. CHARADE.

Posterior summam promit, gustatque priorem.
Aure bibis summam; sumitur ore prior.

Les Muses de Juilly.

Le mot de la dernière énigme (page 163) est Turtur; les deux mots du logogriphe 11 sont 1° Arcus, où l'on trouve Acus, 2° Aspis, où l'on trouve Apis; le mot du logogriphe 12 est Sanguis, où l'on trouve Anguis; celui de la charade est Versus, où se trouve Sus, le Cochon, animal qui a découvert la truffe.

MISCELLANEA.

11. La distribution générale des prix aux élèves de tous les colléges royaux de Paris, a été faite le 19 août 1816, dans la salle des séances publiques de l'Institut, par M. le président de la commission de l'instruction publique. M. le duc de Richelieu et plusieurs autres personnages distingués assistaient à cette séance. M. Naudet, docteur de la faculté des lettres et professeur de rhétorique au collége royal de Henri IV, a prononcé un discours latin dans lequel il a démontré la nécessité de fonder l'instruction publique sur la base sacrée de la religion. Voici quelques passages de ce discours :

Scio equidem nonnullos ingenio tristi paulò asperiores, quòd eam in suî colorem traxerint, tetricam religionis effigiem expressisse et quasi ex industriâ composuisse ad terrorem. Hanc sanè morositate dissociabilem aversemur; illam verò benignam et tractabilem, quæ omnem eò curam spectare nostram jubet, ut benè vivamus, quis non diligat et veneretur?

M. Tullius veterem olìm philosophiam parentem vitæ dicebat, et parricidio inquinatum quisquis eam vituperaret; cujus tamen hæc summa fuit : *Ne faceres alteri, quod tibi fieri nolles.* Hanc ergò religionem contemnere minùs invidiosum, minùs nefarium videatur, quæ monet ut juvandi alterum gratiam præoccupes?

Ego vos appello, Adolescentes, quorum eò

pertinet ratio studiorum, ut facultate mentis et facundiâ periclitantibus opem salutemque afferatis, aut de vitâ fortunisque civium pro sanctissimi officii gravitate pronuntietis, aut provincias vicario paternæ auctoritatis imperio moderemini: nùm religionem illam colere pœniteat, quæ Pelissonium pulcherrimâ oratione, pulchriore etiàm fide, amico infelici patrocinantem; quæ Hospitalem illum saluti populi tanquàm legi supremæ serviendum prædicantem, et Molæum quem non minæ improborum mente quatiebant solidâ, et tot alios præclarissimos instituit, quorum nomina vestris Gallorum animis faciliùs inhæreant inscripta, quàm latinâ oratione inserantur?

Vos quoque appello, quos artium et litterarum laus exercebit, an religionem parùm dignitatis et ingenii pictoribus, industriæ et judicii eruditis, acuminis et sapientiæ philosophis, vehementiæ et roboris oratoribus, spiritûs loquendique divinitatis vatibus addidisse arbitramini?

Vos etiàm, vos imprimìs appello et obtestor, qui arma, ut falsò quidam opinantur, licentiora utique et sæviora quàm ut sanctimoniâ religionis et mansuetudine non abhorreant, gloriosè tractabitis; an Ludovico illi piissimo antè omnes, sive instincto ut per hostium missilia et maris æstum impetu pugnam proriperet, sive cladem itâ ferenti ut suî reveren-

tiam Barbarorum turbæ circùm frementi incuteret captivus, non satis audaciæ et fortitudinis fuisse censetis?

Et bellatorem, ut purum culpæ sic metûs expertem, dùm lethali vulnere exhalaret animam, cruci capulo ensis præfixæ oscula extrema figentem; et Condæum, qui, postquàm pro Rege infantulo adolescens ipse victoriam hostibus luctuosam reportasset, vixdùm prælio defervente, Deo gloriam ultrò referebat, et, ob Galliam suis manibus servatam, grates cum exercitu in verba imperatoris precante suppliciter agebat, pusillo et abjecto fuisse animo dicere quis unquàm sustineat? Quis tot nobilissimis et aliis hujusmodi, si annales recentiorum temporum pervolvat, passìm obviis exemplis erubescat obtemperare?

---

12. M. de Belloc, directeur de l'enregistrement et des domaines, indigné de voir qu'un goût dépravé osât introduire le madrigal et l'épigramme dans les inscriptions monumentales, a voulu ramener ce genre de composition à sa noble et imposante sévérité. Ce savant littérateur a fait, dans ce dessein, une étude approfondie de tous les auteurs latins. C'est dans ce trésor qu'il a puisé les beautés qu'on admire dans le recueil d'inscriptions qu'il vient de publier. Il les a enrichies de commentaires fort utiles, et a mis en tête une préface où les lecteurs de l'*Hermès* reconnaîtront le goût de la plus pure latinité. Il ne sera mis dans le commerce que trente exemplaires de la magnifique édition de cet ouvrage, imprimé sur

vélin, in-folio, avec les plus beaux caractères de M. Pierre Didot. Le prix est de 18 francs. Tout ce qui honore les lettres latines doit être accueilli dans notre feuille. Mais quel besoin l'auteur a-t il de nos éloges? on va voir qu'il a obtenu le plus auguste suffrage.

Latinæ quas proferre juvat inscriptiones si aliquam habent commendationem, gravitati quæ argumentis inest, eam omnem referendam esse non inviti fatebimur. Hinc sanè evenit, quod sperare haud nobis licuisset, ut tentamina hæc Ludovici XVIII oculis, manu exarata, subjicere ausos, benignissimus princeps studiis planè omnibus, quod omnes nôrunt, ac disciplinis excultus, honorificentissimis litteris certiores nos fieri jusserit, ea apud se gratiam invenisse.

Sunt qui querantur hoc litterarum genus, in quo Ciceronem, Augustum, Trajanum, aliosque doctissimos ac principes viros se exercuisse constat, adeò nostris temporibus negligi, ut post florentissimum illud Ludovici XIV sæculum, periti, qui non defuère in Gallià, neque desunt, antiquitatis cultores, dùm hujus latebras ipsi scrutantur, dùm litteratos lapides describunt, iisque lucem afferunt, novarum inscriptionum pangendarum munus eruditulis reliquisse videantur, qui totum hoc artificium sententiolis, scommatis argutiisque contineri existimantes, nullâ habitâ ratione eorum quæ latini veteres diligentissimè servanda ac reti-

nenda esse censuerunt, quòd latinè aliquid sciant ideò se optimos titulorum scriptores esse posse arbitrantur.

Atqui est profectò cur miremur si, quum tantum industriæ diligentiæque requiramus in illis ingenii fœtibus, quos chartis librisque commendata sæpiùs refingere fas est, tàm incuriosi simus quum de his agitur, quæ saxis insculpta, posteritati, propè è manibus in manus tradere constituimus.

Plura fortassè aliàs : nunć verò, arreptâ occasione, hæc nos attigisse sufficiat; qui quidem, pro eo quo tenemur bonarum artium et domesticæ laudis studio, voti compotes erimus, si viri ingenio et eruditione præstantes, quibus harum cognitio litterarum demandata est, partem aliquam in hanc rem derivârint curæ et cogitationis suæ; atque sublatâ tandem dissolutâ illâ jocandi licentiâ, quâ homines prisci leporis et Romanæ gravitatis omninò expertes, severum hoc scriptionis genus dehonestare non pudet, prodeant denuò sicut Ludovici magni sæculo, latinæ inscriptiones, quæ eam obtineant ab elegantiâ et doctrinâ dignitatem, ut ætati huic nostræ aliquandò gloriari liceat se quoque habere;

..... Incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus et vita redit bonis.

HORAT. Od. 8, lib. 4.

Nous regrettons de ne pouvoir donner ici qu'une de ces inscriptions : c'est celle que l'auteur propose pour le monument à ériger au cimetière de la Madeleine.

DEO. ÆTERNO. PLACABILI
SACRUM
IN. HONOREM. MARIÆ. MADALENÆ
SANCTÆ. OPIFERÆ
LUDOVICUS. XVIII
LOCO. RITE. EXPIATO
EXCITAVIT. DEDICAVITQUE
QUOD. HEIC
JUXTA. INNOCENTIUM. CIVIUM. NOCENTIUMQUE
TUMULOS
RERUM. NOVARUM. FURORE
NULLIS. NON. EXITIOSO
CONGESTOS
LUDOVICI. DECIMI. SEXTI
ET. MARIÆ. ANTONIÆ. AUSTRIACÆ
RELIQUIÆ
ANNIS XXII
HUMO. CONDITÆ. MANSERUNT.

CORRESPONDANCE.

12. Paris, 9 septembre 1816.

G. P . . . y Hermeti S. D. P.

Et ego quoque, non poeta quidem, de meo versiculos expromam, et sæpiùs faciam, si

tibi, Hermes facundissime, non fuerit ingratum hocce munusculum. Scilicet breve quoddam epigramma in piscatorem inter otiandum scribere et ad te mittere hoc ipso manè subiit. Quod libens accipias, et, si non adeò insulsum judicaveris, venustissimi tui libelli quâlibet paginâ (p. 209) reponas quæso.

Equidem vehementer gaudeo atque tibi gratulor quòd consilium habueris cùm tibi utile tùm cæteris acceptissimum et percommodum. Optimum latini sermonis saporem et gustum libello inspergere; salvo sancti pudoris jure, adolescentium studia exhilarare simùl et fovere; et quod ad maximam rei litterariæ utilitatem vertat necesse est, non scribentibus magis quàm legentibus aurem accommodare; neque intereà iniquis stultorum furtis, furacissime Deus, favere : hoc te dignissimum propositum fortiter persequeris, magni laboris opus. Quam verò de te expectationem fecisti, ut es vafro et lepido et prudenti ingenio, egregiè tuitus es et vicisti, Mercuri, qui magna pollicitus, majora etiàm præstas : adeò ut fama sit Europam ferè totam te, mobilitate vigentem, quartùm hoc quarto mense jàm fuisse emensum. Nec mirum sanè, si quis te à capite ad calces alatum attenderit. Nè longiorem properanti, uti tàm variis negotiis implicito, moram afferam, perge Hermes velocissime, et, ut facis, usque vale.

13. Réponse.

Hamatam pisciculis escam (pag. 209) in tuo carmine, hamatam mihi laudem in litteris tuis objecisti. Nè me tamen putes hæsisse isti filo pendulum. At palpationibus haud expugnabilem, facilè vicisti versiculis. Mitte tales iterùm atque iterùm; meque, si voles, probris onera. Vale.

B. V.

---

14. Saint-Cyr, 17 septembre 1816.

Hermes utilissime, meritò dixisti tuum legenti cuilibet fructuosum fore libellum. Id præsertìm compertum habent, qui juvenibus ad humaniores litteras informandis navant operam. Mihi verò quum lepidum istud opusculum quotidiana suppeditet argumenta, quorum varietate præceptor necnon discipuli valdè gaudent, volueram equidem debita pendere, et nostrâ ex officinâ aliquid mittere tibi. Nonnihil igitur narratiunculæ sudaveram, quæ minimè pervulgata mihi videretur; at ecce, manu studiosâ versanti codicem tuum, qui *Septembris* inscribitur, occurrit fabella, re quidem similis, verùm styli lepore dissimilis admodùm. Omen sanè infaustum scriptori! quis enim, ut ait Flaccus, *ferat ligna in sylvam!* Fabellâ utere, si non dedigneris. Vale,

J. Leroy, professeur à l'école royale militaire.

15. Réponse.

Absit ut dedigner dignos ! absit multò magis ut laudibus tuis invideam ! absit maximè ut mea stultè amem ! Idem argumentum tractavimus, sed variè ; neque lectoribus injucunda futura est ista æmulatio. *Spe dejectum Pugilem* libenter sequar victus, pugnæque incruentæ superstes integer victorem te canam ad ravim. Narratiunculam tuam videbis editam paginâ 225. Vale.

B. V.

---

16. Paris, 18 Septembre 1816.

Hermes Dilectissime, valdè miranti mihi occurrerunt in recentissimo tuo codice versiculi quidam mihimet adscripti, quamvìs ego non exaraverim. Hoc certè evenit per inconsiderantiam filii natu minoris qui, me absente, carmen de Crœso ac Solone et alienum et à longo tempore editum, plurimis aliis carminibus à me scriptis (quæ reverà Mercurio tuo destinabam) intermiscuit, meoque nomine insignivit. Te rogo ut errorem illum ociùs diluas, et Asclepiadæum carmen simùl tibi missum, at verè meum (pag. 208), publici juris facias. Vale.

De Boinvilliers.

17. Réponse.

Facta sunt quæ postulàsti. Neque diù permansisset error ille quem dilui cupis : jàm

enim Lugdunensis lector nos per litteras monuerat, versus, tibi à filio tuo inconsideratè adscriptos, inter opera R. P. Lejay, edit. Ingolstadt. T. 4, p. 247, reperiri. Vale.

B. V.

---

18. De l'Hôtel-Dieu de Paris, le 19 septembre 1816.

(Quoique la lettre suivante soit presque toute en français, nous nous faisons un devoir de la publier. Jamais, depuis Gilbert, les échos de l'Hôtel-Dieu n'ont redit de plaintes si harmonieuses et si touchantes.)

« Monsieur, l'hiver approche et je ne pourrai point le passer ici. Que deviendrai-je donc ? Personne ne vient me visiter dans ce lieu, où je suis moi-même si étonné de me voir. Vous m'avez connu dans de meilleurs jours. Aujourd'hui j'éprouve un dénuement absolu, et *ipse patitur nasus !* Je n'aurais jamais cru devoir ressentir cette privation. Comment pourrai-je, en sortant d'ici, redevenir un peu moi-même et reprendre un certain essor ? — Je voulais vous écrire en latin, mais je n'ose ; vous excuserez un pauvre honteux ;

Non inculta canam tibi carmina, mortis in antro
Frigidus. Eripe me, si te penès aurea virga est,
Eripe me his tenebris, et lucem redde precanti !

Je sais que votre Hermès vole à tire-d'aile ; vous avez trop bien attaché ses talons

nières pour que d'ici à long-temps il interrompe sa course aérienne.

Tandis qu'au Parnasse latin
Cueillant des fleurs toujours nouvelles,
Vous faites un riant butin
De lis, de roses, d'immortelles;
Et que dans ces heureux bosquets
Où jaillit une eau vive et pure,
Vous composez mille bouquets
Dont s'empare aussitôt Mercure :
Dans un morne séjour luttant contre le sort,
Loin du vallon fleuri que baigne Castalie,
J'écarte les cyprès dont la mélancolie
Ombrage, autour de moi, l'asile de la mort.

De cette affligeante peinture,
Ami, ne vous effrayez pas :
D'un astre malfaisant j'ai ressenti l'injure,
Et de près chaque jour mon œil voit le trépas;
Mais dans l'adversité l'ame se fortifie. . . .
Dieu ! quel cours de philosophie!

Pardonnez, cher Hermès; pour consoler mon cœur,
Quelque secours humain me devient nécessaire :
Ah ! sans l'amitié tutélaire,
Même alors qu'on le brave, on succombe au malheur. »

(Le respect dû à l'infortune ne nous permet pas de désigner, même par une lettre initiale, le nom de notre correspondant. Agé de 45 ans environ, il a déjà fait quelques éducations particulières. C'est une tâche qu'il est parfaitement en état de remplir. En attendant qu'il doive cet emploi à un bienfait très-utilement placé, si quelque offrande au talent malheureux est déposée entre nos mains, nous nous hâterons de la faire parvenir à sa destination.)

HISTORIETTES. BONS MOTS.

31. La première harangue à la fin de laquelle on ait crié *bis*.

Philippus quintus, Ludovici decimi quarti nepos, quum anno 1707 Hispaniam peteret ex fœdere regnaturus, per oppidulum Montem-Lethericum iter habuit. Ibi parochus, curialium stipante ingenti catervâ, obviàm novo regi quum processisset, datà fandi copiâ, sic locutus est :

« Rex optime maxime, quoniàm dudùm et probè intelligo quantam prolixæ conciones molestiam, quantumque oratores tædium creent audientibus, hæc tibi pauca canere constitui :

Castri Quirites, Montis et Letherici,
Lætissimi tantum celebrant hospitem.
Magni nepos Regis, Deus te dirigat !
Hispaniæque tàm bonus
Longissimâ faustissimus
Ætate princeps imperet !

Mirè delectatus pastoris cùm studio tùm cantiunculà rex quum exclamâsset *Bis*, cantum iteravit parochus, et voce longè hilariori utique fidentior. Tùm Philippus ipsi præsenti decem ludovicos aureos numerari jussit. Quibus acceptis, facetissimus curio non dubitavit

vicissim exclamare *Bis*. Neque Regis liberalitas audaculum petitorem respuit (1).

32. Les jongleurs indiens et Jacques de Falaise renouvelés des Grecs.

Indos præstigiatores nuper obstupuit Lutetia, nudum acinacem capulo tenùs sorbentes haustu prorsùs innocuo. Neque est quòd tale portentum Indiæ Gallia nostra invideat. Nàm ex quo isti ad patrium Hydaspem reversi sunt auro nostro graviores, in solatium nobis Jacobum suum; infestissimam et araneis et muribus et colubris et bufonibus et sordibus quibusvis et totis ensibus gulam, misit Falesia. Nihil tamen sub sole novi : majora enim vidit Græcia, si qua omninò fides vel ipsi Græciæ vel testi Apuleio.

« Athenis, inquit circulatorem meis ipsissimis oculis aspexi, qui spatham equestrem præa-

---

(1) Nous avons traduit en vers iambiques, avec une fidélité rigoureuse, la chanson française. On peut chanter le latin sur le même air que le français, en mettant deux notes liées sur la première syllabe de *Montis*, et deux sur la dernière de *dirigat*. Au mot *imperet* il faut changer la blanche en une noire pointée et une croche.

Tous les bourgeois de Châtre et ceux de Montlhéry
Mènent fort grande joie en vous voyant ici.
Petit-fils de Louis, que Dieu vous accompagne !
Et qu'un Prince si bon, don, don,
Cent ans et par delà, la, la,
Règne dedans l'Espagne !

cutam mucrone infesto devoravit. Mox idem, invitamento exiguæ stipis, venatoriam lanceam, quâ parte minatur exitium, in ima viscera condidit. Et ecce immersi teli exstans hastile scandit puer, in mollitiem decorus. Hic flexibus tortuosis enervem exossemque saltationem explicat, cum omnium qui aderamus admiratione. Diceres Dei medici baculo serpentem generosum lubricis amplexibus inhærere. »

33. Le choix des termes.

Quidam adstabat ad tabernam pomariæ, fœminæ vehementer obesæ, oculis lustrans ea quæ proposita venum erant. Illa ex more invitavit, si quid vellet; et quum videret hominem intentum ficis : « Vis, ait, ficos? sunt perquàm elegantes. » Quum ille annuisset, rogat quot libras vellet, tacentemque occupans, « Vis, inquit, quinque libras? » Annuenti tantum ficorum effudit in gremium. Dùm illa reponit lances, hic se subducit, non cursu sed placidè. Ubi prodiisset acceptura pecuniam, vidit emptorem abire. Insequitur majore voce quàm cursu. Ille dissimulans pergit quò cœpit ire. Tandem multis ad fœminæ vocem concurrentibus, restitit. Ibi in populi coronâ agitur causa : risus oboritur; emptor negabat se emisse, sed quod ultrò delatum fuisset accepisse : si vellet experiri apud judices, se compariturum.

34. Le boxeur désappointé. (Voyez pag. 180 et 218.)

Fuit Londini pugil quidam viribus pollens et palæstræ valdè studiosus. Quum in ejus conspectu grandioribus verbis laudaretur agrestis, qui præ cæteris incredibili nervorum robore emineret, eum statuit Anglus invisere, quamvìs in longinquâ provinciâ versaretur. Nec mora, insilit equum proficisciturque rusticum ad pugnam provocaturus. Adest et in hominem incidit qui fortè agellum ligone fodiebat. Ex equo desilit lætus, et accedens : « Amice, inquit, te robustum ac palæstræ haud rudem prædicant ; nos quoque per vicos et plateas Londini aliquod nomen decusque gessimus ; nec fateri dubitaverim, me perlongum iter eâ mente suscepisse, ut tecum viribus certare liceret. » Rusticus nihil ; sed ligone quàm placidè posito, viatorem manu magnâ occupat medium, correptumque suprà murum qui non procùl aberat, vi prorsùs herculeâ jaculatur. Quo facto, ligonem rursùs capit et persequitur incœpta.

Alter verò confractus contususque, animo pariter et corpore ægrotabat : non hæc profectò voluerat consequi ; se victurum existimaverat non vincendum. Heu ! populares lauros contaminaverat rusticus ! Probatæ totiès ignobili lacerto vires cesserant ! Sedatis tamen paulatìm doloribus, ad discessum se accingit, sed trans murum stabat equus : « Heus, tu,

inquit rustico, quandòquidem ad me hùc projiciendum valuisti, equum paritèr projice, quæso. »

35. Le héros fondu.

Celeberrimus quidam gentium victor apud Romanos, cui insignem senatus paravèrat triumphum, suam ipse, non ex auro argentove aut ex ære conflari statuam voluit, sed è cerâ fingi. Collocatam in foro flagrantibus tædis circumdari jussit, quarum ardori sensìm cedebat; commonstrans scilicet, humanos honores splendescere quidem ad tempus, verùm splendore ipso ad exitium labi.

Plusieurs personnes nous adressent des pièces sur les évènemens politiques, ou des vers pour ou contre ceux qui jouent un rôle dans ces évènemens. Nous ne pouvons que leur rappeler ce paragraphe (page 4 de l'Hermès): « Constamment armé du caducée pacifique, notre Mercure n'admet ni satires, ni allusions malignes, ni personnalités. Tout-à-fait étranger à la politique, il se concentre dans un monde purement littéraire. »

Nous n'avons d'autre but que de propager ou plutôt de réveiller le goût des bonnes études: des témoignages nombreux et décisifs attestent l'utilité de notre travail; c'est le seul éloge qui puisse nous toucher. Presque tous les collèges ont déjà souscrit à l'Hermès. Après les hommes attachés par état à l'instruction publique, la classe la plus nombreuse de nos lecteurs est celle des médecins. Cette honorable profession a toujours compté une foule d'excellens humanistes, et l'on a remarqué dans la plupart de ceux qui ont écrit en latin la pureté et l'élégance de Celse, leur maître et leur modèle.

NOCTES FABULOSÆ.

PSYCHE.

CAPUT TERTIUM.

11. Psyché entend son mari sans le voir; il lui est défendu de recevoir la visite de ses sœurs.

His peractis, vesperâ suadente, concedit Psyche cubitum. Jàmque provectâ nocte, clemens quidam sonus aures ejus accidit; illa, pro tantâ solitudine metuens, et pavet et horrescit.

Jàmque aderat per tenebras maritus qui se videri non passus, antè lucis exortum properè discessit. Singulis noctibus maritus ille ad uxorem suam redibat, necdùm orto die se proripiebat. Verùm assidua consuetudo jàm eum commendaverat, et sonus incertæ vocis erat quoddam solitudinis solatium.

Intereà Psyches pater materque indefesso luctu atque mœrore consenescebant. Hujus majores sorores, cognitâ re, suos reges deserunt, certatìmque ad parentum suorum conspectum properant. Eâ ipsâ nocte Psychen sic alloquitur maritus : « Tibi, uxor dulcissima, ingens imminet periculum. Sorores tuæ, tuum

vestigium requirentes, jàm scopulum quo exposita fuisti adierunt. Illas nec responso digneris, imò nec prospicias omninò. Alioqui mihi quidem gravissimum dolorem, tibi verò summum creabis exitium. »

12. Elle se plaint de la sévérité de cette défense et en obtient la révocation.

Illa annuit, et ex arbitrio mariti se facturam spopondit. At diem totum lacrymis et planctibus misella consumit. Se prorsùs periisse dictitat, quæ septa carcere, et humano colloquio viduata, ne sorores quidem suas de se mœrentes videre possit. Nec lavacro, nec cibo, neque ullâ denique refectione recreata, flens ubertim decessit ad somnum. Mox superveniente marito, Psyche expergiscitur, novasque fundit lacrymas. Ille uxorem solari frustrà conatus, demùm incipit: « Age, carissima, jàm nunc ut voles; memineris tamen monitionis meæ quum te cœperit serò pœnitere. »

Tunc illa precibus, et dùm se morituram comminatur, extorquet à viro ut cupitis fruatur, ut sorores videat, luctus mulceat, ora conferat. Imò maritus novæ nuptæ concedit, ut sorores auro et monilibus, quibuscumque velit, donet. Sed identidem monet nè pernicioso consilio incitata, mariti formam tentet cognoscere: « Sacrilega enim ista, inquit, cu-

riositas te tanto fortunarum cumulo dejiceret, meque posteà tibi eriperet. »

13. Elle reçoit ses sœurs.

Gratias egit marito Psyche; jàmque lætior animo « Priùs, inquit, centiès moriar, quàm tuo isto dulcissimo connubio caream. Amo enim, et efflictìm te, quicumque es, diligo. Sed illud etiàm precibus meis, oro, largire ut famulus ille tuus Zephyrus, eâdem vecturâ quâ usa sum, sorores hùc mihi sistat. » Invitus vir cuncta se facturum pollicitus, luce proximante, de manibus uxoris evanuit.

At illæ sorores, percontatæ scopulum quo fuerat Psyche deserta, festinanter adveniunt, flentesque proprio illam cient nomine. Nec mora, Zephyrus clementissimo flatu ambas ad juniorem sororem deportat. Jàm mutuis amplexibus fruuntur, et uberes præ gaudio spargunt lacrymas. Mox lavacro et opiparâ cœnâ refectæ sorores, ac cœlestium divitiarum copiâ attonitæ, enixè rogant quis sit tantarum rerum dominus, quisve aut qualis ipsius sit maritus. Nec tamen Psyche conjugale illud præceptum ullo pacto temerat, sed confingit esse juvenem quemdam et speciosum, primâ lanugine genas inumbrantem, ac plerumque rurestribus et montanis venatibus occupatum. Et, nè quâ sermonis procedentis occasione consilium tacitum proderetur, eas, auro facto gemmosisque mo-

nilibus onustas, statìm vocato Zephyro tradit reportandas.

14. Ses sœurs sont dévorées de jalousie.

Sorores egregiæ, domum redeuntes, jàmque gliscentis invidiæ felle flagrantes, multa secum sermonibus mutuis perstrepebant. Sic denique infit altera : « Nosne, iisdem parentibus prognatas, tàm diversam sortem sustinere! Ego et tu, quæ natu majores sumus, maritis advenis ancillæ deditæ, procùl à patriâ degimus velut exulantes : hæc autem novissima tantis opibus et Deo marito potitur! Vidisti, soror, quantâ in domo diversetur; et qualia dederit monilia; quibus vestibus præniteat; quibus splendeat gemmis; quantum denique aurum calcet pedibus. Quòd si maritum etiàm tàm formosum tenet, ut affirmat, nulla nunc in orbe toto felicior vivit. Fortassìs deam quoque illam Deus maritus efficiet. Jàm numini propior est mulier quæ Voces ancillas habet, et Ventis ipsis imperat. At ego misera, maritum, patre meo seniorem sortita, seris et catenis quasi obdita custodior! »

15. Elles forment le projet de la perdre.

Suscipit altera : « Ego verò maritum, articulari morbo complicatum, sustineo; et uxoris minùs quàm medicæ laboriosam ago personam. Recordare, soror, quàm superbè, quàm arro-

ganter nobiscum Psyche egerit; quæ de tantis divitiis exiguum munus nobis invita projecit, confestìmque præsentià nostrâ gravata, propelli nos, et efflari et exsibilari jussit. Nec sum mulier, nec omninò spiro, nisi eam pessum de tantis opibus dejecero. Consilium validum ambæ requiramus. Jàmque ista munera quæ ferimus, neque parentibus nostris neque ulli demonstremus alii : imò nec omninò quidquam de ejus salute nôrimus. Quod vidimus, quod vidisse nos pœnituit, id omnes ignorent : nec sunt enim beati quorum divitias nemo novit. Sciet se non ancillas, sed sorores habere majores. Et nunc quidem concedamus ad maritos ; mox aptis cogitationibus instructæ, ad superbiam puniendam firmiores redibimus. »

CAPUT QUARTUM.

16. **Le mari de Psyché lui donne des avis salutaires.**

Pessimæ igitur fœminæ, tàm pretiosis illis muneribus absconditis, comam trahentes et perindè ac merebantur ora lacerantes, simulatos redintegrant fletus. Parentes suos, redulcerato prorsùs dolore, raptìm deserunt vesanià turgidæ; et domus suas contendunt dolum scelestum, imò parricidium struentes contrà sororem insontem.

Intereà Psychen maritus ille quem nescit,

rursùm nocturnis sermonibus sic cómmonet : « Perfidæ lupulæ magnis conatibus nefarias insidias tibi comparant : suadebunt tibi meos ut vultus explores, quos, ut tibi sæpè prædixi, non videbis si videris. Ergò si posthàc pessimæ illæ lamiæ noxiis animis armatæ venerint (venient autem scio), nullum omninò sermonem conferas; et id si tolerare, pro genuinâ simplicitate proque animi tui teneritate non potueris, saltem de marito nil quidquam vel audias vel respondeas. Nàm infantulus ille quem nobis utero gestas, si texeris nostra secreta silentio, divinus nascetur; sin aliter, mortalis. »

17. Il lui annonce qu'elle porte un dieu dans son sein.

Nuntio Psyche læta florebat, et divinæ sobolis solatio recreata materni nominis dignitate gaudebat. Crescentes dies et menses exeuntes anxia numerat, futuri pignoris divinâ gloriâ gestiens. Sed jàm pestes illæ teterrimæque furiæ, anhelantes vipereum virus et festinantes impiâ celeritate navigabant. Tunc sic iterùm maritus suam Psychen admonet :

« Dies instat ultimus, et casus extremus, et sexus infestus. Sanguis inimicus jàm sumpsit arma, et castra commovit et aciem direxit, et classicum personuit. Jàm mucrone districto jugulum tuum nefariæ tuæ sorores petunt. Heu quantis urgemur cladibus, Psyche dulcissima! Tuî nostrîque miserere; domum, maritum,

teque et istum parvulum nostrum imminentis ruinæ infortunio libera. Illas scelestas fœminas (quas tibi post internecinum odium et calcata sanguinis fœdera sorores appellare non licet) neque videas neque audias, quum, more Sirenum scopulo prominentes, funestis vocibus saxa personabunt. »

18. Psyché gagne encore son mari.

Suscipit Psyche cum lacrymis et singultibus: « Jamdudùm fidei atque parciloquii mei perpendisti documenta; neque eò seciùs approbabitur tibi nunc etiàm firmitas animi mei. Tu modò Zephyro nostro rursùm præcipe fungatur obsequio; et in vicem denegatæ sacrosanctæ imaginis tuæ, redde saltem conspectum sororum; indulge mihi germanos complexus, et tibi devotæ dicatæque Psyches animam gaudio recrea. » His verbis et amplexibus tenerrimis victus maritus se facturum quæ ipsa vellet spopondit, et celeri fugâ prævertit lumen nascentis diei.

Nefariæ sorores, nec parentibus quidem visis, rectà de navibus scopulum petunt illum præcipiti cum velocitate. Nec immemor Zephyrus regalis edicti, quamvis invitus, eas gremio spirantis auræ susceptas, solo reddidit. Illæ domum penetrant, complexæque suam prædam, venenumque penitùs abditæ fraudis vultu læto tegentes: « Psyche, inquiunt, non

ità ut pridem parvula, et ipsa jàm mater est. Quantis gaudiis totam domum nostram partus hilarabit tuus! O nos beatas, quas infantis aurei nutrimenta lætabunt! Qui si parentûm, ut oportet, pulchritudini responderit, prorsùs Cupido nascetur. »

19. Elle revoit ses sœurs, et se trahit.

Sic affectione simulatâ, paulatìm sororis invadunt animum; quæ statim eas, balnearum vaporosis fontibus curatas, pulcherrimo triclinio mirisque edulibus atque tucetis oblectat. Jubet citharam loqui, psallitur; tibias jugere, sonatur; choros canere, cantatur. Hæc omnia, nullo præsente, dulcissimis modulis animos audientium demulcebant. Nec tamen scelestarum fœminarum nequitia, vel ipsâ mellitâ cantûs dulcedine mollita, conquievit: sed, ad destinatam fraudum pedicam sermonem illicò conferentes, dissimulanter occipiunt sciscitari qualis ei maritus et undè oriundus, et quâ vitæ sectâ.

Tunc illa simplicitate nimiâ, pristini sermonis oblita, novum commentum instruit; aitque maritum suum de provinciâ proximâ, magnis pecuniis negotiantem, jàm medium cursum ætatis agere, interspersum rarâ canitie. Nec in sermone isto tantillùm morata, rursùm opiparis muneribus eas onustas ventoso vehiculo reddidit.

20. Ses sœurs se disposent à lui arracher tout son secret.

Ad parentes suos abeunt, sic secum altercantes : « Quid, soror, dicemus de tàm immani fatuæ illius mendacio? Maritus nunc adolescens florenti lanugine barbam instruit, nunc ætatis mediæ canitiem patitur. Quis ille, quem modici temporis spatium repentinâ senectute deformavit? Nil aliud reperies, soror, quàm vel mendacium istam pessimam fœminam confingere, vel formam mariti sui nescire. Si viri sui faciem ignorat, Deo profectò nupsit, et Deum nobis prægnatione istâ gerit. Certè si divini puelli, quod absit, hæc mater erit, statìm me laqueo nexili suspendam. »

Sic inflammatæ sorores parentûm ædes ingrediuntur, et attexunt fallacias. Totâ nocte novas fraudes moliuntur, et summo mane, exitialibus dolis instructæ, scopulum pervolant.

CAPUT QUINTUM.

21. Psyché craint d'être dévorée par son mari.

Soliti venti præsidio ad notas sororis ædes delatæ, lacrymisque pressurâ palpebrarum coactis, sic misellam compellant : « Tu quidem, felix ipsâ mali ignorantiâ, sedes omninò incuriosa proprii periculi : nos autem quæ pervigili curâ rebus tuis excubamus, cladibus tuis miserè

cruciamur. Nàm pro vero comperimus (nec te, sociæ doloris casûsque tui, id celare possumus) immanem colubrum, multinodis voluminibus serpentem, veneno noxio colla sanguinantem, hiantem ingluvie profundâ, ad te noctibus latenter adrepere. Nunc recordare oraculi quòd te trucis bestiæ nuptiis destinatam esse cecinit. Et multi coloni, quique circumsecùs venantur, vidêre eum vesperâ redeuntem è pastu, proximique fluminis vadis innatantem. Nec diù dulcibus alimentis te saginandam prædicant; imò te, quùm primùm prægnationem tuam tempus maturaverit, opimiore fructu præditam devoratum iri à monstro omnes affirmant. Jàm perpende utrùm sororibus pro tuâ carâ salute sollicitis assentiri velis, et declinatâ morte nobiscum secura vivere, an sævissimæ bestiæ visceribus sepeliri. Certè nos sorores officium nostrum piè fecerimus. »

22. Elle implore les conseils et le secours de ses sœurs.

Psyche, utpotè simplex et animi tenella, rapitur verborum tàm tristium formidine: ferè amens, prorsùs omnes mariti monitiones, ac promissiones suas obliviscitur, et in barathrum sese præcipitat. Tremensque, et exsangui colore lurida, sic ad illas semianimi voce substrepit.

« Vos quidem, carissimæ sorores, ut par erat, in officio pietatis vestræ permanetis : verùm

et illi qui talia vobis affirmant, non videntur mihi mendacium fingere. Nec enim unquàm viri mei vidi faciem, vel omninò quis sit novi; sed nocturnas tantùm audiens voces, maritum incerti statûs et prorsùs lucifugam habeo, aliquam sanè bestiam. Is me magnoperè semper à suo terret aspectu, malumque grande de vultûs curiositate præminatur. Nunc, si quam salutarem opem periclitanti sorori vestræ potestis afferre, jàm nunc subsistite. »

23. Elles lui conseillent d'égorger son mari pendant son sommeil.

Nudatum atque inermem nactæ sororis animum facinorosæ mulieres, omissis jàm tectæ machinæ latibulis, districto fraudum gladio simplicis puellæ paventes cogitationes invadunt. Sic denique trepidantem alloquitur altera earum:

« Viam quæ sola deducit ad salutem, diù diùque cogitatam monstrabimus tibi. Novaculam præacutam lectulo latenter absconde. Dein lucernam, completam oleo et claro lumine micantem, subde alicui tegmini. Omni isto apparatu callidè dissimulato, postquàm maritus, exordio somni prementis implicitus, altum soporem flare cœperit, toro tu delabere; nudoque vestigio pensilem gradum minuens, retege lucernam; ac novaculam arripiens, nisu quàm validissimo noxii serpentis cervicem abscide,

Nec nostrum tibi deerit subsidium : sed quum illius morte salutem tibi feceris, cuncta hinc ociùs tecum auferemus anxiæ, decentibusque quàm primùm nuptiis hominem te jungemus homini. »

24. Psyché fait à la hâte tous les préparatifs de cet attentat.

Tali verborum incendio inflammatam sororem deserentes ipsæ protinùs, et tanti mali confinium sibi etiàm eximiè metuentes, Zephyri impulsu solito porrectæ super scopulum, pernici se fugâ proripiunt, statìmque conscensis navibus abeunt.

At Psyche relicta sola vario cogitationum æstu fluctuat. Quamvìs statuto consilio et jàm obstinato animo paret facinus, adhùc titubat, multisque distrahitur affectibus. Festinat, differt; audet, trepidat; ignoscit, irascitur; et, quod est ultimum, in eodem corpore odit bestiam, diligit maritum.

Vesperâ tamen jàm noctem trahente, præcipiti festinatione nefarii sceleris instruit apparatum.

Nox aderat, et maritus aderat, et brevì in altum soporem descenderat. Tunc Psyche, quamvis et corporis et animi infirma, fati tamen sævitià vires subministrante, profert lucernam, arreptâque novaculâ, scelus aggreditur.

25. A la lueur d'une lampe, elle reconnaît dans son mari Cupidon lui-même.

Sed quùm primùm admoto lumine tori secreta claruerunt, videt omnium ferarum mitissimam dulcissimamque bestiam, ipsum illum Cupidinem, formosum Deum formosè cubantem. Cujus aspectu lucernæ quoque lumen hilaratum increbuit, et acuminis sacrilegi novaculam pœnitebat.

At verò Psyche tali visu deterrita, impos animi, marcido pallore lurida, tremensque discedit in imos poplites, et ferrum quærit abscondere, sed in suo pectore; quod profectò fecisset, nisi ferrum, timore tanti flagitii, temerariæ manibus esset delapsum.

Dùm sæpiùs divini vultûs intuetur pulchritudinem, illa recreatur animi. Videt capitis aurei genialem cæsariem, ambrosiâ temulentam; cervices lacteas; genas purpureas; crinium globos decorè impeditos, alios antependulos, alios retropendulos, quorum splendore nimio ac vividis fulguribus ipsum lucernæ lumen vacillabat. Per humeros volatilis Dei, pinnæ roscidæ micanti flore candicant; et quamvìs alis quiescentibus, extimæ plumulæ, tenellæ ac delicatæ, tremulè resultantes, inquietè lasciviunt. Antè lectuli pedes, jacebat arcus, et pharetra et sagittæ, magni Dei tela.

(La fin au prochain numéro.)

Matières de vers proposées pour le numéro du premier janvier 1817.

(Tous les morceaux destinés au 8e numéro de l'Hermes, doivent nous être adressés le 10 décembre au plus tard.)

11°. Le jour de l'an ou les étrennes ; pièce d'une cinquantaine de vers.

12°. Les œufs frais de Paris ; épigramme, ou petit conte.

Nous proposons en outre pour le même numéro un recueil de pensées détachées en prose latine, dans le genre des caractères de Théophraste et de ceux de la Bruyère. Nous choisissons pour sujet *la Gastromanie*, qu'on a presque divinisée de nos jours. Chacun pourra nous adresser son petit paragraphe, en le signant au moins d'une lettre quelconque. Nous disposerons le tout de notre mieux, et si cet essai réussit, l'*Hermès* pourra présenter un jour une collection de caractères extrêmement piquante. La vivacité du Provençal avec la gravité du Flamand, la malignité du Parisien avec la bonhomie de l'Auvergnat, la franchise du Picard avec les circonlocutions du Normand, offriront cette bigarrure charmante qu'on aime dans un parterre qui a mis tous les climats à contribution.

HERMES ROMANUS,

OU

MERCURE LATIN.


N° 6. — 1er Novembre 1816. — Tome I.

L'HERMES est publié le premier de chaque mois, à commencer du premier juin 1816, par cahiers de 48 pages in-12. Le prix de l'abonnement est de QUINZE FRANCS par an, port franc par la poste. On ne peut souscrire que pour l'année entière, à Paris, rue du Cloître Notre-Dame, n° 4. On s'abonne aussi chez tous les Libraires et les Directeurs de poste de l'Europe. Les lettres non affranchies resteront au rebut.

VETERUM CARMINA.

9. Properce, comme Horace et Ovide, ses contemporains, s'est promis l'immortalité; comme eux, il est immortel.

Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
   Qui finem imperii Bactra futura canant.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
   Detulit intactâ pagina nostra viâ.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poetæ;
   Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
   Post obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia post obitùm fingit majora vetustas;
   Majus ab exsequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nôscere arces,
   Hectora per campos ter maculâsse rotas?



Idæum Simoenta Jovis cunabula parvi?
   Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc Ilion, et tu
   Troja, bis Œtæi numine capta Dei.
Nec non ille tui casûs memorator Homerus
   Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes;
   Illum post cineres auguror esse diem.
Nè mea contempto lapis indicet ossa sepulcro
   Provisum est, Lycio vota probante Deo.

RECENTIORUM CARMINA.

73. Éloge du vin de Bourgogne. Cette pièce fut composée par Bénigne Grenan, Bourguignon, professeur de rhétorique au collège d'Harcourt, au commencement du 18e siècle. Coffin (p. 194), ami de Grenan et Champenois, riposta par l'éloge du vin de Champagne que nous publierons au prochain numéro. N'y aura-t-il point sur les bords de la Garonne un poëte latin assez inspiré par le vin du crû, pour en soutenir l'honneur contre ces deux redoutables antagonistes. Bordeaux est, après Nantes, la ville du royaume où l'*Hermès* compte le plus de lecteurs. Que l'un deux chante ses plaisirs et la gloire de sa patrie! mais qu'il chante aussi bien que ses rivaux, car nous n'admettrons que des vers excellens, des vers dignes du sujet.

VINUM BURGUNDUM.

Testa, Burgundo gravidam liquore,
Quam jocus circumvolat, et nitenti
Sanitas vultu rubicunda, et insons
   Risus, Amorque :

Te canam fandi celebrem magistram.
Tu potes tardos homines docere,
Improbus quos vix labor erudit[illegible]
   Fingat ad artes.

Te fugit nigrâ truculenta fronte
Cura. Quos urgens rigidis Egestas
Obligat vinclis, tua, vi potente,
Pocula solvunt.

Anxio surgit cibus apparatu;
Docta sed frustrà manus elaborat
Splendidis dulcem dapibus saporem,
Ni comes adsis.

Nàm suum Rhemi licet usque Bacchum
Jactitent; æstu petulans jocoso
Hic quidem fervet cyathis, et aurâ
Limpidus acri

Vellicat nares avidas; venenum
At latet: multos facies fefellit.
Hic tamen mensam modico secundam
Munere spargat.

Tu senum nutrix querulos benigno
Lacte titillas, refovesque alumnos.
Ut valens per te redit in caduca
Membra juventa!

Vatis effœtam malè si reliquit
Igneus mentem calor, atque vena
Ingens, dives modò quæ fluebat,
Si pigra torpet:

Tu Caballino melior fluento
Suscitas Musam residem, et vigentes
Spiritus, grandique pares cothurno
Fortior afflas.

Quid ciet dirum tuba rauca bellum?
Plus scyphi prosunt. Ferus indè miles
Hauriat robur: peritura siccus
Vix trahit arma.

Sed datum Marti satis est cruento:
Aptior ludis simùl et choreis
Evoca lentam, bona Testa, fausto
Nectare pacem.

Nunc beant unctas tua dona cœnas:
Mox et in pagis resupina pubes
Tædium belli tibi tradet amplis
Mergere trullis.

Noxio lædat stomachum Lyæo
Præla quem passim subigunt, racemus;
Hic gravet nervos, caput angat ille,
Perfidus hospes.

Tu subis nervis capitique sana;
Nec levat tristes medicina morbos,
Ut latex pellit tuus, innocentis
Filius uvæ.

Somnus aversâ fugitivus alâ
Nil preces curat levis obstinatas:
Fuderis rorem, revolabit imbre
Udus amico.

At verecundi violare leges
Liberi nobis scelus esto; teque
Speret haud æquam tua qui protervè
Munera tractat.

Perge vitali, pia Testa, succo
Principis corpus vegetum tueri,
Salva quo salvo benè temnat omnes
Gallia casus.

Vina sic, quæ fert ubicumque tellus,
Victa decedant tibi, regiæque
Audias mensæ decus, et salutis
Optima custos.

74. Le Marché aux chevaux (matière proposée page 144). L'auteur de la Fantasmagorie (p. 159) a traité ce nouveau sujet avec une aimable facilité qui lui conciliera une seconde fois tous les suffrages.

Area longa patet, spectabilis æquore plano,
Utrìmque arboribus frondosis consita; more
Emporium hanc veteri certis statuêre diebus,
Punica gens prorsùs, mangones : undique circùm
(Turba heu! diverso fatis collecta labori)
Prostat equorum agmen, loro vel fune revinctum;
Fasciculi paleæ, mutandæ insignia sortis,
Caudarum stringunt flavo primordia nexu.
Hosne vides, genuit quos patria clara, caballos?
Clara quidem, ut simulant hominum mendacia, quippè
Plura alibi vastus non unquàm parturit orbis.
En simplex juvenis rapidum sibi poscere cursu,
Quique ferox animis cervice superbiat altâ,
Quadrupedem; accedit mango, verbisque dolosis
Fœtus, « Adest ætate tibi qui convenit, inquit;
Vix numerat quinos. » His dictis, ultima carpens
Labra manu, ostentat dentes, quos manè coegit
Et ferri rigor et limæ decrescere morsus.
Atque ut primus equi subeat discrimina, nàmque
Ignibus immodicis fervescere dixit, in illum
Assilit; ac miseri fodicans calcaribus armos,
Alarum in speciem membris diverberat auras.
Hic soliti gressûs multo conamine vincit
Pigritiam, cursuque fidem vendentis anhelo
Implet, Achilleos visus superâsse jugales.
Hæc sat magna seni, nimio cui pondere quartum
Languida crura premit lustrum : sed fallere doctus
Grex mercatorum tepefacto nectare vitis
Guttura perfundens, vires recreârat Iaccho.
Rusticus ecce venit, mannum lustramine quærens,
Non pulchrum, quid enim? at robusto corpore, quique
Impositum saccis hominem ferat. Invenit unum,

Ut credit; prædamque simul speculatus, ad illum
Currit mango : « Vides, inquit, cui Gallia nusquàm
Possit habere parem. Centum quidam modò nummos
Obtulit, at noviès denos tu solve, relinquam.
Aspice crura, pedes, nervos et fortia terga;
Sed præsertìm oculis huic verè gemmea fulgent
Lumina, nocte, die pariter. » Nec falsa profatur,
Cæcus erat sonipes : at tantæ rusticus artis
Nescius, ancipitis laqueo comprenditur astûs;
Annuit, et numerat nummos; vectusque caballo
Decidet in foveam, cautus nisi viderit ipse.
Atque hæc parva tamen; nondùm hæc molimina fraudis
Maxima. Cernis equum nitidæ pinguedinis : emptor
Miratur molem, et dorsum conscendere gaudet.
Dùm redit ille domum, sessoris pondere sensìm
Compressus sese ventosas solvit in auras
Pegasus, inflatus follis. Tùm tubere fœdo
Apparent formæ; constrictus in ossibus aspris
Hæret eques; frustrà repetitis punctibus urget
Manni relliquias; nil proficit : ossea crates
In statione manet. Sic olìm Herois Iberi
Armigerum Pansam vis insidiosa latronum
Quatuor ignarum suspendit in aere tignis.
Mangonum fraudes varias, technasque latentes,
Multiplicesque dolos non possit cernere Lynceus.
Jàm quis credat? Equos hùc plurima plaustra jacentes
Advexêre; alios geminorum juncta virorum
Brachia robusto pendentes vecte tulerunt,
Lampadis immensæ similes : tamen arte refecti,
Toto manè valent, saltemve valere videntur.
Et jàm turba forum sensìm dilapsa relinquit;
Emptoresque simùl mercatoresque tabernæ
Proxima tecta petunt, ubi fraus quoque certa paratur;
Et conventa meri fumoso pignore firmant.

Adolphus JAUFFRET.

75. Madrigal à une dame qui prend du tabac.
(Sujet proposé page 192.)

Haurire, Phyllis, pulverem naso soles
Subtilem; ait nescio quis illum maximè
Stimulare vires ingenî. Pulchram tamen
Hanc esse consuetudinem semper negas.
Tu docta, mentis dote polles plurimâ,
Tibique pulvis prorsùs est inutilis:
Oblatus at quondàm ille reginæ fuit;
Hoc jure tu regina, carpe, cordium.

Adolphus JAUFFRET.

---

76. Sur le même sujet.

Quàm benè purpureos vultus et candida pulvis
Discolor ora linit, pollice deciduus.
Elicito arentem delibat rore voluptas;
Quid mirum huic visco si meus hæret amor?
Splendidior factus tenui fuliginis umbrâ
Nase, nites; te sic, nasule, depereo.

Eugène BARBIER-VÉMARS, fils.

---

77. Sur le même sujet.

Quisque tuæ niveos laudabat frontis honores,
Purpureasque genas, collaque candidula:
Ast aliâ laudem quærens è parte, tabaccum
Sumis, et hinc similis diceris esse viro.
Nec tibi jàm satìs est formâ vicisse puellas,
Prudentes æquas nunc gravitate viros.

COLEAU-LECOYNTE, ancien colonel.

---

78. L'espace.

C'est une sphère immense dont le centre est partout et la circonférence nulle part.

Quà patet immensus radiis æqualibus orbis,
Invenias ubivis medium, circùm ultima nusquàm.

LES MUSES DE JUILLY.

79. Le jour des Morts. --- L'Eglise a consacré le deuxième jour de ce mois à prier solennellement pour les Morts. Cette auguste et lugubre cérémonie a inspiré de beaux vers à l'auteur des deux pièces insérées page 202 de ce volume. La gravité du sujet n'a point exclu des détails gracieux, dont quelques-uns sont empruntés à la touchante élégie de Gray sur un cimetière de village. (Sujet proposé page 192.)

Altera jàm rediit primævâ à luce novembris;
Ille dies fulget veniæ sacratus et iræ.
Undique concurrit vulgus; tùm vestibus atris
Relligio induitur; novus hinc honor additus ori,
Sacraque majestas everso crescit ab orbe.
Manibus hæc hodiè solemnia grata reducens
Funereas clamore domos reserabat avorum:
Heu! memini, nec tristis adhùc effluxit imago.
Lucifer ortus erat; tenues librata per auras
Feralem sonitum Scythicis stridoribus æra
Miscebant; ad templa viri matresque ruebant.
Agmine collecto, quæ sint celebranda sacerdos
Festa docet plebem, placido sic ore locutus:
« Christicolis meritò certatìm heroibus, inquit,
Qui sibi sublimi pepererunt astra triumpho,
Persolvistis herì festivo carmine laudes.
Nunc querulos, acri concussi corda dolore,
Lugemus Manes; his noster gaudia luctus.
Scilicet illa preci virtus, ut sublevet ægram
Quæ brevibus tentatur adhùc cruciatibus umbram.
Funereas ergò ipsorum properemus ad ædes,
Eheu! quò tacitè cunctis descendimus horis.
Quanta tamen mœstas subeunt solatia mentes!
Insolitam lucem gelido sub marmore lethum
Sentiet; exsangues primâ sub imagine gentes,
Attonitæ surgent redivivo lumine Solis.
Tunc ego sidereas ascendens victor ad arces,
Vos utinàm integrum ducam feliciter agmen! »
Sic fatur, sacræque parans accumbere mensæ,

Nunc manibus tensis præsentem ostendit olympum,
Nunc humilis prono veneratur vertice numen.
O quàm digna Deo spectacula! poplite flexo
Procumbens populus; priscisque admissa fenestris
Pallida lux; pariesque labans; et agrestis inhærens
Porticibus muscus; lampasque ex ære, vetustis
Temporibus Solis vitæque perennis imago,
Antè creatorem noctesque diesque refulgens;
Majestasque Dei pollutum illapsa per orbem;
Votaque cum lacrymis; et odor qui surgit ad aram;
Et teneræ matrum prostratæ antè ora puellæ,
Quæ nitido vultu, et blando modulamine vocis,
Funeream insolitâ mulcent dulcedine pompam;
Et resonæ cum plebe silens seges ærea cannæ;
Et Polus arcano concordans fœdere Terris:
Cuncta pium incendunt animum extenduntque;moventque;
Orbis inaccessi credit transcendere fines,
Immortalis ubì divinæ exercitus aulæ
Perpetuo cantu gaudet celebrare Jehovam.
Tùm facilem Domino mens ultrò accommodat aurem.
  Sed jàm turba ingens, variis glomerata catervis,
Quà data porta ruit, properatque excedere templo.
Mortis ad imperium tendunt, lugubre canentes,
Et fundunt lacrymas; et frontibus hispida mœstis
Congruit arvorum facies, et luctus olympi.
  Funereæ intereà ventum est ad limina sedis.
Noxia taxus eam, et vepres, et pallida buxus,
Et steriles hederæ præcingunt undique; raræ
Apparent tiliæ, quarum cum murmure rauco
Perstringit rapidus nudata cacumina ventus.
Haud procùl hinc flumen sinuosis flexibus errat;
Et mens in tumulis, et fluxâ aspexit in undâ
AEternum motum, æternamque affixa quietem.
  Ut cineres patrum, divino fervida motu,
Rustica turba colens, veneranda agnoscere gaudet
Saxa quibus gelidum tegitur, vel gramina, corpus!

Dilectum sibi quemque vocat, blandoque potiri
Ore putat : sed ubi socii jàm flebilis urnam
Ingratâ repetas oculis errantibus urbe?
Mœnibus arcentur Manes, spoliataque jure
Indistincta jacent communibus ossa sepulcris.
O scelus! ô terror! nobis infensa silentûm
Turba fremit. Væ temporibus, gentique profanæ,
Omnis ubi sensìm tumulorum, è pectore lapsa,
Relligio exoluit, veteresque amisit honores!
Nulla sacros Manes hìc saltem injuria læsit :
Sedibus antiquis securâ in pace fruuntur;
Non premitur tumido fastosum nomine marmor.
Agricola, aut pastor, vel crimine purus ab omni
Villicus hâc placidam carpit sub mole quietem.
Quis scit an obscurâ perfunctus sorte Turennus,
Ignostusve sibi lateat Cornelius alter?
Ecquid? Si populo quondàm sejunctus inerti,
Melpomenes inter Martisve insignis alumnos,
Permulceret adhùc dilecto nomine gentes,
Anne sepulcrali recubaret molliùs umbrâ?
Quanta mihi, studiis quam plebs ardentibus ambit,
Per tumulos vanæ subeunt oblivia laudis!
Attonito surgunt graviores pectore sensus.
Quàm miseranda patent oculis spectacula! Primùm
Insonuit cæco feralis murmure campus.
Mox reboat precibus, gemitu et clamoribus æther;
Nulla caret lacrymis facies, aut planctibus ora.
Una tamen luctus præstanti corpore virgo
Dissimulat, Solisque jubar fugisse videtur:
Rore sed injusso vultus perfunditur, errat
Lumen, et incerto titubant vestigia gressu.
Perdidit infelix quem miro ardebat amore,
Et tacitè sponsum sibimet delegit ephebum;
Non temeraturam sacrata hæc fœdera jurat.
Haud procul à foliis nudato femina trunco,
Conjugis orba gemit, dùm vix tribus editus annis,

Affixus lateri, sortisque ignarus acerbæ,
Maternis fletus permiscet fletibus infans.
At parte ex aliâ lugebat ab ubere raptum
Filiolum genitrix, et barbara fata vocabat;
Et lapidi extensis hærebat prona lacertis.
Turba colonorum prostrata in fronde caducâ,
Umbrarum dolitura vicem, precibusque levamen
Allatura, venit quò vox accersit avorum.
Solemnem longo deducens ordine pompam,
Substitit ad cineres cujusque, locumque sacerdos
Personuit querulas cantu qui liberat umbras.
Actum est, et sancto perculsus pectora motu,
Ter populus spatium funestæ sedis obivit;
Ter sacer antistes lustralibus abluit undis,
Et tumuli lætis iteravit Manibus echo
Ultima vota : « Omnes tranquillâ in pace quiescant. »

J. P. F. de C.

---

80. Les plaideurs hors de cour.

Qui rubro venas alboque inflatus Iaccho
Signabat docili plurima Zêta pede,
Cùm mera sentiret turbata sinu, osque dehiscens,
Talia bis tunso pectore verba dedit :
« Hoc jàm te moneo, vinum album, et te quoque, rubrum,
« Ni concordetis, vos ego mitto foràs. GRANCHER.

---

81. Le cosmopolite.

Sauromatas Priscus Germanosque ardet et Indos,
Et quotquot gentes extera zona premit.
Tot populos cur tàm violento Priscus amore
Diligit? Ut patriam diligat ille minùs. GRANCHER.

---

82. Le médecin fatigué.

Cervius ex medico miles fit. Plaudite, cives :
Non posthàc ullum Cervius interimet. GRANCHER.

83. Une soirée à la campagne.

Libera quondàm
Otia nobis,
Virgine pulsâ,
Libra reducens,
Longa ferebat
Gaudia toto
Mense, dabatque
Rure potiri.

Nunc mihi festos
Condere soles
Non licet uni.
Hora labore
Vix caret ulla,
Invidus ex quo
Imperat Hermes
Menstrua detur
Cura libello :
Nàm properantes
Computat eheu !
Ipse Calendas.

Me fera cogunt
Jussa ministrum
Undique dulce
Promere mellis
Nectar, et, acre
Si quid inhæret,
Si quid amarum,
Fingere rursùs :
Nempè superbus
Ut mera sugat
Gaudia lector.

Me miserum ! me
Fronte minaci
Quem Deus urget !
Ille negantem,
Munus iniquæ
Molis obire,
Auriculasque
Demittentem
(Ut solet ægræ
Mentis asellus,
Si graviori
Quandò fatiscit
Pondere dorsum)
Non dubitaret
Cædere virgæ
Vindicis ictu.

Ille lutosâ
Me spatiosi
Ruris amantem
Imperiosus
Detinet urbe :

Ast ego nuper
Callidus ipsi
Quum recitarem
Voce sonorâ
Carmina, noster
Quæ mihi plenis
Mævius audet
Mittere chartis;
Victa repentè
Lumina somno
Clausit Atlantis
Inclyta proles.
Haud secùs ægri
Corporis artus
Solvit amico
Rore papaver;
Aut, medicato
Sontibus herbis,
Dira fugacem
Spargit amatum
Saga sopore.

Dùm Deus altos
Proflat, inepti
Munera vatis,
Pectore somnos
Inscius, et vix
Luce sequenti
Triste cerebro
Virus abibit:

En ego, quamvìs
Sole cadente,
Liber in agros
Præpete cursu
Tendo, propinquâ
Dulcia quærens
In breve tempus
Otia villâ.

Jàmque sub ipso
Vespere, sudi
Nuntia cœli,
Prorsùs ab imâ
Fæce paludis,
Rauca sororum
Turba coaxat.
Tùm muliebri
Garrulitate
Excitus, ipse
Gaudia sentit
Tanta; sonosque,
Sed graviores,
Musicus udo
Gutture promit,
Consona ranis
Murmura, bufo.

Mox ubi demùm
Ipsa, canoro
Fessa tumultu,

Nocte recessit
Musa palustris :
Quisque benignum
Bufo soporem
Carpere putri
Gaudet in ulvâ ;
Quæque, tepenti
Condita limo,
Rana quiescit.

Hic ego, mecum
Plurima volvens,
Astra tacenti
Ignea cœlo
Metior audax ;
Et tua, Neuto,
Maxime Neuto,
Castra secutus,
Ambitiosâ
Tiro bilance
Pondero tantos
Tantulus orbes.

Me tamen alto
Frigore sensìm
Relligiosus
Occupat horror
Undique cinctum
Undique mersum
Infinito :
Mox quatit ingens
Pectora motus ;
Tempora fervent ;
Auris acutùm
Utraque tinnit ;
Cor micat ; ardent
Lumina ; totus
Febre laboro.
Artificem jàm
Miror, et ultrà
Ætheris arces,
Totius extrà
Limina mundi,
Mente volucri
Raptus, ad ipsum
Evolo numen.

Tanta putanti
Quis sonus aures
Verberat ? ô quis
Intima cantu
Viscera movit ?
Ah ! Philomelæ
Durus arator
Dulcia furtim
Pignora pullos,
Quos sua nondùm
Pluma tuetur,
Spemque futuræ
Prolis ademit.

Mater iniquâ
Abdita sylvâ,
Una silenti
Nocte quietem
Nescit; et ultrò
Flebile carmen
Integrat orba;
Et loca latè
Conscia luctu
Miscet inani;
Et nemus implet
Omne querelis.

BARBIER-VÉMARS.

---

84. Le soldat puni de son insolence.

Per fraudes nivium, per saxa, per aspera montis
Præruptum molitus iter, dux addere fessis
Militibus primo tentabat ab agmine vires,
« Tantos pro patriâ, clamans, pro rege labores
Forti animo tolerate; dabit victoria vobis
Mercedem egregiam magnâ cum laude, sodales. »
Haud illi de more alacres; neque dicta secundo
Excipiunt fremitu: sed cuncta per ora cucurrit
Insolitum murmur, querulique hinc indè tumultus.
Cuncti inimica fremunt; aliisque protervior unus
« Sic tibi, sic in equo facilis via, planaque rupes.
« At desævit hiems, pannosaque corpora vexat;
« Et durum est miseris iter! » haud mora, desilit heros,
Atque suum vectorem offert, et tradit habenas.
Vix miles conscendit equum, dorsoque superbus
Emicat, et socios inter sesè arduus infert;
Protinùs obliquo cum fulmine pœna merentem
Vicinâ de sepe ferit. « Jàm gaudeat alter!
Quis succedet? equus vacat invidiosus, amici;
Scande, aliquis! » clàmat ductor. Ceu tactus eodem
Fulgure quisque silet; pedibus juvat ire, viamque
Carpere difficilem, et securos ferre labores.

Deh....

85. Traduction du distique d'Eugène Barbier-Vémars fils (p. 201), sur le nouveau jet d'eau du Palais-Royal.

A peine un fleuve entier, versant toutes ses ondes,
Put laver d'Augias les étables immondes :
Que peut un filet d'eau pour nettoyer ces lieux,
Plus impurs mille fois, et plus contagieux?

A.

---

86. A un fat.

Quis, rogo, lustra mihi tribuat bis quatuor unquàm,
Si cernat mihi frons quàm juvenilis adhùc?—
Imò, quis cernens tibi quàm juvenilius insit
Ingenium, tribuat bis duo lustra tibi?

B. Piéton.

---

87. Le Fléchier conditionnel.

Flexerium quondàm legeret quum rhetor alumnis
Tàm mira orantem Turennî in funere, quidam
Sic ait illudens emunctâ nare sodali :
« Quandò eris orator tu talis, dic, bone, quandò?
— Alter eris quandò Turennius » ille reponit.

B. Piéton.

---

88. L'argent, l'argent!

L'argent chez les mortels est le souverain bien ;
C'est par lui qu'on arrive au but qu'on se propose :
Avec un peu d'argent un homme est quelque chose ;
Un homme sans argent est un peu moins que rien.

D'Aceilly.

Quæcumque exoptes regina pecunia donat ;
Quâ nullum toto majus in orbe bonum.
Est aliquid, quisquis tantillùm possidet æris.
Deterior nihilo, qui caret ære, jacet.

Coleau-Lecoynte, ancien colonel.

89. Traduction d'Horace par un gentilhomme allemand.

Diffugère nives. Hor. Lib. 4, od. 7.

La neige a disparu ; l'éclat de la verdure
Dans les bois, dans les champs rajeunit la nature.
Adoucis à l'aspect de ces nouveaux trésors,
Les fleuves les plus fiers n'osent franchir leurs bords.
Euphrosine, ses sœurs, les nymphes bocagères
Dessinent, d'un pied nu, des cadences légères.
Le cercle des saisons te répète avec moi
Que tout change et périt par la commune loi.
La glace s'amollit au souffle de Zéphyre :
Mais au printemps bientôt l'été ravit l'empire ;
L'été cède à l'automne, et l'automne à son tour
De l'hiver triomphant fuit l'indolente cour.
Chaque mois voit des nuits la rapide courrière
De son disque obscurci réparer la lumière :
Mais au sombre séjour quels seront nos destins ?
Un peu de cendre, une ombre, et voilà les humains !
Qui sait si Jupiter permettra que l'aurore
Au nombre des vivans demain nous trouve encore ?
Apprends donc à jouir : ne te refuse rien (1)
En dépit du neveu qui convoite ton bien.
Quand tu ne seras plus, et qu'en pleine audience
Minos aura porté ta dernière sentence,
Ni tes mille talens, ni tes nobles aïeux
Ne te ramèneront à la clarté des cieux.
L'innocent Hippolyte au sort qui le condamne
Oppose vainement le pouvoir de Diane ;
Et vainement Thésée au gouffre des enfers
De son Pirithoüs cherche à briser les fers.

Le baron F.—J. de L . . . .

---

(1) *Amico quæ dederis animo.* La traduction est exacte : ce serait prêter une niaiserie sentimentale à Horace, et lui attribuer une mauvaise latinité, que d'entendre ce vers comme un appel à la bienfaisance. *Animo* est pour *genio* ; *amico* est synonyme de *tuo* ; c'est le φίλον κῆρ des grecs La plupart des traducteurs et des commentateurs n'ont pas manqué le contresens.

18. ÉNIGME.

Sum fusca et nigrans, quamquàm est mihi candida mater;
Quotidiè vitæ reddimur, atque neci.
Pellere me mater cupit; hujus nempè decorem
Infusco maculis : hanc tamen usque sequor.
Quandò illa obliquas torquet moritura sagittas,
Immodicè crescens tunc mea tela vibro.
Utramque involvens nox perficit atra duellum,
Et nos pugnantes quisque perire videt.
Ac veluti tantùm nascor nascente parente,
Sic morior quandò cernitur illa mori.

Imité du français par A. Dormans, rhétoricien au collège de Saint-Etienne.

LOGOGRIPHES.

19. Sex pedibus quadrupes, Epicuri de grege damnor
Quòd fuerim; et capite abscisso detrudor ad umbras.
Deh....

20. Ardua prærupti teneo fastigia montis;
Orans inferiùs me pia turba colit.
At, nè me teneas, secto pede cursito, donec
Deciderim in casses præda petita tuos. M. C.

21. Sex ab equo pendent; exornant atria quinque;
Quatuor alatæ; stant tria; bina vorant. *Ancien.*

---

22. CHARADE.

Sylvarum regi, si fabula creditur, olim
Attulit exiguus quadrupes, pars prima, salutem.
Primam summa vorat; doctæ placet ima Minervæ.
L. M.

Le mot de la dernière énigme (p. 210) est la lettre M. Le mot du logogriphe 15 est Turba, où l'on trouve Tuba; celui du logogriphe 16 est Rosa, où l'on trouve Osa, Ros, Os. Le mot de la charade est MEL-OS.

MISCELLANEA.

13. Cambden, surnommé le Strabon, le Varron et le Pausanias de l'Angleterre, a laissé, entre autres ouvrages écrits en latin, l'histoire d'Elisabeth. Nous en avons extrait le passage suivant sur la mort de Marie Stuart.

Maria Stuarta, Scotorum regina, anno captivitatis decimo octavo, securi percussa interiit. Quùm venissent qui, lecto mandato, monerent ut ad mortem se accingeret, utique postridiè moriendum, illa mente infractâ non modò stetit, sed et vix discedentibus nuntiis, cœnam maturari jussit, quò plures horas rebus suis liberè componendis impenderet. Parcè et sobriè pro more cœnat. Sub finem cœnæ, famulis universis propinat, qui flexis genibus, ordine suo Reginæ poculo pocula sua admovent, lacrymas vino commiscentes, et neglecti officii veniam petentes, quam ipsa vicissìm ab illis petiit. A cœnâ varia curat, et litteras ad regem Galliarum commendatitias pro famulis scribit; tempore consueto cubitum se recipit; horas aliquot dormit; somno soluta, reliquam noctem precationibus producit.

Fatali die jàm elucescente, ornatiùs, ut festis diebus assolet, se apparat; famulis convocatis testamentum perlegi jubet; rogat ut legata æqui bonique consulant, cùm non penès ipsam esset majora elargiri.

Ingreditur tandem qui significet jàm prodeundum esse. Prodiit illa, specie ad maximam majestatem compositâ, et brevi ad ferale pegma venit, in quo cathedra, pulvinus, truncus, et omnia pannis funebribus instrata. Tùm in genua procumbens, Ecclesiam, filium, Elisabetham reginam cujus jussu necatur, Deo commendat; inimicis omnibus ignoscit; imò tortoribus veniam anxiè petentibus, concedit; famulis circumstantibus et in ejulatus effusis, leniter subridens, ultimum vale dicit. Jàm facie linteo obvelatâ, corpus ad truncum protendenti, sæpiùsque iteranti latinè: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, caput geminato ictu amputatur.

CORRESPONDANCE.

19. Vienne, 5 octobre 1816.

Nè te per ambages et longa exorsa morer, Hermes omnibus præconiis major, Delphinas ego sum et emeritus Martis miles. Complures scilicet per annos, militari sago indutus, et truces minas aspero vultu barbâque impexà intentans, procùl à me territas fugere Musas videram, quas juvenili ætate non ità infelix procus dilexeram. Quum verò, post tot exantlatos labores, ad patrios Lares me placidum sidus tandem reduxerit, jàm mihi Pierides reduci blandulæ subrident, invitantque ut me-

liori omine ipsarum castra sequar. Suadentibus morem gerere mihi visum est, et in earum amicissimo amplexu à bellis quiescere. Illud ergò à te expeto (nàm Musæ te nunc imperatorem suum et ducem vocitant) ut me in tuorum albo scribas, et levissimum quod mitto munusculum (p. 247 et 256) bonus favensque accipias. Neque erit sanè quòd te pœniteat. Tu videlicet me semper observantissimum devotissimumque habebis. Vale.

Coleau-Lecoynte, ancien colonel.

20, Réponse.

Hui! Delphinas, quem Delphis natum credideram, ità Apollineum nescio quid spirant tuæ litteræ, quàm formidandus è montibus tuis in hanc arenam descendisti! Jàm congressum tuum horrent viri Mercuriales, et te penè primo impetu victorem salutant. Sic olim functus militiâ Horatius, repentinus vates Romanis innotuit. Quem ut bellicâ laude tribunum militum tribunus facilè vicisti, sic eniti debes omni curâ ut poetam poeta sequaris.

Vale. B. V.

---

21. Collège de Vendôme, 6 octobre 1816.

Hermes gratissime, quos mihi constans nuntius affers codices, eos libentissimo animo perlegi; illis fui delectatus; inque illis admiratus sum quàm plurima. Utile mihi videtur

opus; quodque tantâ moliris operâ ut pergas adhortor; adhortantur et omnes qui nunc sunt, aut etiàm olim fuerunt latinis litteris addicti.

Nec te verbis tantùm, sed et meo labore adjutum volui : nostrum enim omnium esse arbitror, qui pueros instituimus, unanimi consensione, quædam chartis tuis inscribenda tentare, quibus studiosæ juventutis delectentur animi, bonique mores informentur.

Quod tibi mitto, discipulis narrabam, de inclyto illo præsule Apchone, qui uni amicorum meorum fuit amicissimus. Utere. Vale.

MARESCHAL, *è collegii regii Cæsareo-Vindocinensis rectoribus alter.*

22. Réponse.

Apchonem, æternâ laude dignissimum, à bonis celebrari par erat; neque chartis (p. 264) nostris, te præcone, silebitur. Hoc verò judicii tui maturitas præstitit, ut tantus vir simpliciter ostenderetur, nullo orationis fuco illitus, nullius cothurni auctus mendacio. At non ejusdem erat illum laudare, et me; nisi tamen tu quoque pictor umbris carere non potes. Vale. B. V.

---

23. Evreux, 7 octobre 1816.

Ad te missum à me munusculum (p. 156) adeò honorificè excepisti, Hermes excellentissime, ut gestiam jamdudùm mittere ad te hæc

mea nova, et quidem benè multa. Sed quid ego benè multa? Imò nimiò plura subvereor nè te, meliora legentem, gravent. Quanquàm arridebit forsàn varietas. Cæterùm nobis donatâ jàm laude ebriis spes, ignoscenda sanè, blanditur in tuis codicibus locum obtinendi selectissimis. Hæc nostra ames, et nòs quoque ô utinàm! si nobis olìm noscere te et à te nosci contingat. Vale.

B. Piéton, an. prof. rh.
in coll. Ebroicensi.

24. Réponse.

Plurima quidem sed et optima quæ misisti, non sum adeò improvidus ut avidis lectoribus simùl objiciam : quos nec fraudari velim tàm exquisito cibo, meritò conquesturos; verùm nec satiari, ipsam fortè copiam aspernaturos : novi enim illorum fastidia, et palatum teneo. Paucis, quæ hodiè (p. 256) dedi, acuetur, non torpebit fames; quam subindè lautioribus ferculis stimulatam ad voracitatis opprobrium deducere constitui. Tua igitur carmina per codices ità digeram, ut nihil Romanis nostris deliciarum, nihil tibi laudis debitæ pereat. Nè, quæso, has moras ægrè tuleris. Idem sibi dictum putent multi elegantes poetæ, qui, nobis undiquè selectissima mittentes, hujusce ætatis decus, stultorum querelis elevatum, feliciter provehunt. Vale. B. V.

HISTORIETTES. BONS MOTS.

36. D'Apchon, archevêque d'Auch.

Quum archiepiscopalem Auscorum sedem occuparet Apcho, accidit ut hujus urbis una domus, in suburbio, igne flagraret. Illùc festinavit pontifex, et nùm omnes salvi essent interrogavit. « Proh! exclamat amens quædam mulier, me quidem flammis eripuerunt, me infelicem, filiolum enìm meum ex hoc cubiculo eripere non potui. » Superiores autem manu indicabat ædes, quas juxtà circumfusum incendium grassabatur. Scalas confestìm præsul applicari jussit ad fenestram, bis mille nummos pollicitus, si quis miserandum infantem servavisset. Immoti manent, adeò imminens periculum adire nemo sustinet. At Caritati vanum est periculum quodcumque. Madidâ affultus mappâ, piâ signatus cruce, vir sanctissimus scandit ædes; nihilque flammis obstantibus, irruit. Rèdit, puerulum uno circumvolutum tenens brachio; quem, plausum ingeminantibus, benè precantibus, flentibus omnibus, tandem matri restituit. Genibus ejus provoluta hærebat mater, cui præsul arridens: « Duo millia nummorum, ait, præmium habeo, quo incolumem à me factum, meumque adoptione puerum frui decet. Hanc illius

beneficio summam, legitimo fœnore, collocandam curabo. » Dixit, et grati ejus animi significationem fugiens, è turbâ evasit.

37. Couple rasé pour l'amour de Dieu.

Mendicus quidam, cui mentum erat barbâ gravius quàm ære crumena, vacuam tonstrinam ingressus, tonsori tunc maximè otianti sacculum ostendit plenum araneis; rogavitque ut, Dei ergo, sibi gratuitam navaret operam; ac faciem jàm penè hircinam humanæ dignitati restitueret. Tonsor, quanquàm tacitus supplicem diris devovebat, Deo et famæ dandum censuit, ut tonderet hominem. Singulas igitur explorans novaculas, aciemque in summâ volæ cuticulâ incruento vulnusculo periclitatus, unam cæteris hebetiorem, et crenis salebrosam, nec rubigine carentem, eligit. Tùm aquâ modico sapone medicatâ barbam, quæ intima immadere pingui visco debuerat, vix irrorat extimam. Deniquè, velut segeti falce immissâ, sonantes pilos vi demetit, crudumque corium cæsìm hiulcat, sulcos relinquens ubi sylva fuerat. Jàm mediam operis partem absolverat carnifex, quùm è vicino compito acutissimos canis clamores, summi indices doloris, exaudit. Hæret auscultans, et quum gemitus miserabilis increbresceret, « Quidnam, inquit, cani accidisse putas? — Quid, ait mendicus, nisi quòd is quoque Dei ergo tondetur? »

38. Le remercîment singulier.

Adiit Ludovicum undecimum quidam, petens ut munus, quod fortè vacabat, juberet in ipsum transferri. Rex, auditâ petitione, respondit : « Nihil efficies. » Petitor, actis Regi gratiis, discessit. Ludovicus, suspicans hominem non intellexisse quid respondisset, jubet eum revocari. Rediit. Tùm Rex : « Intellexeras, inquit, quid tibi responderim ? — Intellexi. — Quid audiisti ? — Me nihil effecturum. — Cur igitur egisti gratias ? — Quoniàm est domi quod agam : proindè magno meo incommodo persecuturus eram hîc spem ancipitem; nunc beneficium interpretor, citò negàsse beneficium; meque lucratum quidquid eram perditurus, si vanâ spe lactatus fuissem. » Ex illo responso Rex, conjectans hominem minimè segnem, ubi pauca percunctatus esset, « Habebis, inquit, quod petis, quò mihi bis gratias agas. » Simùlque versus ad amanuenses, « Expediantur, inquit, huic sine morâ diplomata, nè hîc diù suo damno hæreat. »

39. Le vaisseau escamoté.

Navis vectoriæ dominus idem et gubernator fortè ad ostia Iberi, frequenti inter Italiam Hispaniamque commercio, appulerat. Ibi deposito onere, Ibericas merces parabat, quum latrones nefarii tales ei insidias struxêre. Nè numerus suspicionem faceret, bini ad eum

aut singuli venerunt, vectorum nomine; neque eumdem portum fingebant se petere. Hi Neapolim nominabant, Rhegium illi aut Salernum. De mercede conveniebat. Rudis ille impiæ fraudis omnes ad decem excepit; qui quò solertiùs fallerent, tanquàm inter se ignoti egerunt, quandiù in portu mansit navigium, aut à vicino littore periculum erat. At ubi procùl terris ventus impulit ratem, soporque in cœlo securo pluribus nautarum irrepsit, subitò impetu bacchantur; dominum de gubernaculo deturbant; semisopitos nexibus devinciunt; vigilantes ferro invadunt; et piratico scelere jàm prò vectoribus domini, suo auspicio feruntur. Nàm nec deerat inter eos rei nauticæ peritus. Hinc in minora, ut occurrebant, navigia sæpè grassati, ingentem prædam coegerunt.

40. L'Homme à trois visages.

Fuit in Panormi finibus latro, non spernendæ calliditatis arte diù inultus; quippè vultus illi triplex, ut de Geryone memorant. Ætas homini media erat, rava barba et tenuis. Sed in sinu capillitia duo, ex quibus totidem barbæ pendebant: hæc horridior et in senilem effigiem cana; fusca altera in primæ virilitatis specimen colebatur. Has larvas tanta ars concinnabat, ut nemo adscititiam formam deprehendere, nemo arguere furtivos vultus posset.

Igitur modò senex, nunc junior, interdùm demptà personâ cernebatur. Sic impunè latrocinantem mutabilis forma non suppliciis tantùm sed et suspicioni diù eripuit. Nàm juvenili grassatus specie, mox senex occurrebat quærentibus ; rursùsque fallebat juventutis imagine, si sub canis peccaverat. At is qui provinciam regebat, fatigatus pessimi Protei ingenio, tandem captum meritissimâ cruce fregit.

41. Le clou.

Chrysophilus quidam, copiosæ pecuniæ dominus, magnis artibus magnam dissimulabat opulentiam. Deniquè solus ac solitarius, parvâ domunculà contentus, pannosus alioquìn ac sordidus, aureorum folles incubabat.

Hujus nummos latrones odorati, nocte mediâ domum invadere constituunt. At fores neque sublevare neque dimovere ac ne perfringere quidem tutum videbatur. Itaque dux latronum Lamachus, tacitâ serræ mordacis ope, modicum aperit foramen, et immissâ manu claustrum conatur evellere.

Sed dudùm scilicet omnium mortalium vigilacissimus Chrysophilus, singula rerum sentiens, lenem gradum obnixumque silentium tolerans, paulatim adrepit; ac grandi clavo manum ducis repentè nisu fortissimo ad ostii tabulam affigit; et exitiabili nexu patibulatum relinquens, gurgustioli sui tectum ascendit, atque indè contentissimâ voce clamitans,

diffamat incendio repentino domum suam possideri. Sic unusquisque proximi periculi confinio territus, ad auxilium decurrit.

Tunc latrones in ancipiti periculo constituti, vel pereundi, vel deserendi ducis, medium è re natâ consilium, eo volente, comminiscuntur. Antesignani sui partem, quâ manus humerum subit, ictu per articulum medium temperatò, prorsùs abscidunt; atque ibi brachio relicto, multisque laciniis affulto vulnere, nè stillæ sanguinis prodant vestigium, cæterum Lamachum raptìm reportant.

At dùm trepidi urgentur gravi tumultu, Lamachus intelligit se nec properè sequi nec remanere tutò posse. Itaque vir indomitæ virtutis, ac meliori causâ dignissimæ, multis socios affatibus, multisque precibus adhortatur : « Per dexteram Martis, inquiens, per fidem sacramenti, bonum commilitonem cruciatu simùl et captivitate pejori liberate. Cur enìm manui, quâ rapere solà potest fortis latro, velim supervivere? Sat me credam beatum qui manu socià occumbam volens. »

Quùm nulli latronum istam cædem persuadere posset, manu reliquâ sumptum gladium suum diù deosculatus, per medium pectus ictu fortissimo transadegit. Tunc socii, atrocem ducis animum venerati, corpus reliquum, veste lineà diligenter convolutum, mari celandum, cruce fraudatâ, commisêre.

Des tables faites avec soin donnent tant de prix à un ouvrage, que nous avons cru devoir en mettre deux à la fin de chaque volume de l'*Hermès.* La première (page 293) indique, suivant l'ordre de publication, les nombreux morceaux dont ce recueil se compose. La seconde (page 299) est alphabétique, et contient également tous les sujets traités, avec les noms des auteurs.

Ces tables rendront extrêmement faciles les recherches de toute espèce, au moyen des développemens que nous leur avons donnés. Cependant nous n'avons pas voulu, quelle qu'en soit l'utilité, qu'elles envahissent le terrain destiné aux morceaux de littérature, et nous avons fait la dépense d'une troisième feuille pour ce sixième numéro; de sorte que la partie littéraire, au lieu d'être restreinte, remplit quelques pages de plus qu'à l'ordinaire.

Nous ne cherchons pas à faire valoir ce sacrifice que nous commande l'intérêt des souscripteurs, et dont nous sommes trop dédommagés par la faveur toujours croissante que le public veut bien nous accorder, pour prix d'un travail opiniâtre et d'un zèle soutenu.

Entre la page 296 et la page 297 se trouvent huit pages qu'on doit placer en tête de ce premier volume, avant l'avertissement.

Matières de vers proposées.

(Ces vers devront nous parvenir avant le 10 janvier 1817; ils seront publiés au plutôt dans le cahier de février.)

13°. Le naufrage de la Méduse.

14°. Boutade sur les taches du soleil.

NOCTES FABULOSÆ.

PSYCHE.

CAPUT SEXTUM.

26. L'Amour s'éveille.

Dùm insatiabili animo Psyche mariti sui arma pertractat, depromit unam de pharetrâ sagittam; et puncto pollicis extremam aciem periclitabunda, trementis etiamnùm articuli nixu fortiore, cutem pupugit altiùs, ità ut parvulæ sanguinis rosei guttæ roraverint. Sic ignara Psyche in Amoris incidit amorem. Tunc magis magisque cupidine flagrans Cupidinis, prona in eum efflictìm inhians, de somni mensurâ metuebat. Sed dùm spectat, lucerna illa fortè evomuit de lumine suo stillam ferventis olei super humerum Dei dextrum.

Sic inustus exsiluit Deus, violatamque fidem agnoscens, illicò tacitus avolat. Sed Psyche, mariti statìm resurgentis crure dextro manibus ambabus arrepto, sursùm evehitur appendix miseranda; et per nubilas plagas Deum comitata aliquandiù, tandem fessa delabitur solo.

27. Il abandonne Psyché.

Nec Deus amator humi jacentem deserens;

involavit proximam cupressum, deque ejus alto cacumine, sic eam graviter commotus affatur :

« Te, simplicissima Psyche, infimi hominis matrimonio Venus addici jusserat. Ego quidem parentis meæ præceptorum immemor, amator advolavi tibi. Sed hîc feci leviter, scio. Præclarus ille sagittarius, ipse me telo meo percussi, teque conjugem meam feci, ut Bestia scilicet tibi viderer, et ferro caput excideres meum. Hæc tibi cavenda censebam; sed illæ quidem consiliatrices egregiæ tuæ tàm perniciosi magisterii dabunt actutùm mihi pœnas; te verò tantùm fugâ meâ punivero. »

His dictis, Deus pinnis in altum se proripuit. Psyche verò humi prostrata, et quantùm visu poterat avolantem maritum sequens, extremis animum lamentationibus affligebat.

28. Psyché essaie en vain de se donner la mort.

Postquàm remigium plumæ et spatii proceritas Cupidinis conspectum abstulit, per proximi fluminis marginem uxor dedit sese præcipitem. Sed mitis fluvius, in honorem Dei scilicet qui et ipsas aquas urere consuevit, metuens sibi, confestìm eam innoxio volumine super ripam florentem herbis exposuit.

Tunc fortè Pan, deus rusticus, juxtà supercilium amnis sedebat, canens agresti fistulâ. Proximè ripam vago pastu lasciviunt virgulta

tondentes capellæ. Hirsutus Deus sauciam Psychen, utcunque casûs ejus non inscius, clementer ad se vocatam his permulcet verbis :

« Puella scitula, sum quidem rusticanus et opilio, sed senectutis prolixo beneficio multis experimentis instructus. Amore nimio laboras. Ergò mihi ausculta ; nec te rursùs præcipitio vel ullo mortis accersito genere perimas. Luctum desine et pone mœrorem ; precibusque potiùs Deos percole, et blandis obsequiis promerere. »

29. Elle veut se venger de ses sœurs.

Sic locuto Deo pastore, nullum sermonem Psyche reddit, sed, adorato tantùm numine salutari, pergit ire. Postquàm multùm viæ labanti vestigio pererrâsset, accedit quamdam civitatem in quâ regnum maritus unius sororum ejus regnum obtinebat.

Psyche, nuntiari præsentiam suam sorori desiderat. Mox inducta, alternis amplexibus mutuæ salutationis expletis, percontanti causas adventûs sui narrat singula ; dein vindictam parans : « Ubi, inquit, dolore ferventis olei, somno recussus Cupido me ferro et igni conspexit armatam : O Psyche, ait, tu quidem, ob istud tàm dirum facinus, confestìm hìnc abi. Ego verò sororem tuam (te scilicet, nàm tuum nomen protulit) mihi auspicatioribus nuptiis conjugabo. »

30. Elles périssent toutes deux.

Necdùm sermonem Psyche finierat; illa vesaniæ simùl et invidiæ stimulis agitata, præconcinnato mendacio fallens regem maritum, quasi de morte parentûm aliquid comperisset, statìm navem conscendit, et ad illum scopulum protinùs pergit, et quamvìs non Zephyrus, verùm alius ventus flaret, cæcâ spe tamen inhians : « Accipe me, ait, Cupido, dignam te conjugem ; et tu, Zephyre, suscipe dominam. » Et cum dicto, saltu se maximo dedit præcipitem. Nec tamen ad illum locum, vel saltem mortua pervenire potuit. Nàm per saxa cautium membris jactatis atque dissipatis, alitibus bestiisque obvium ferens pabulum, interiit.

Nec vindictæ sequentis pœna tardavit : nàm Psyche errabundo rursùs gradu pervenit ad civitatem in quâ soror altera morabatur. Quæ et eodem Psyches mendacio inducta, et in sororis nuptias æmula, festinavit ad scopulum, inque simile mortis exitium cecidit.

CAPUT SEPTIMUM.

31. Vénus, avertie par une mouette, vole auprès de son fils.

Intereà Psyche, requirendo Cupidini intenta, populos circuibat; at ille vulnere lu-

cernæ dolens, in ipso thalamo matris ingemebat. Tunc avis peralba, gavia, quæ super fluctus marinos pinnis natat, demergit sese properè ad Oceani profundum gremium. Ibi Venerem lavantem nacta, indicat adustum filium ejus gravi vulnere, dolore mœrentem, dubium salutis jacere. Nec loquax illa Psychen silentio prætermisit avis.

Indignata Venus properiter emergit à mari, suumque protinùs thalamum petit. Reperto, sicut audierat, ægroto puero, jàm indè à foribus quàm maximè boans : « Honesta, inquit, hæc, et natalibus tuis bonæque tuæ frugi congruentia! Primùm quidem tuæ parentis, imò dominæ præcepta calcavisti, ut ego nurum scilicet tolerarem inimicam. Sed faxo te lusûs hujus pœniteat, et sentias acidas et amaras nuptias istas. »

32. Junon et Cérès tâchent d'appaiser sa colère.

Sic effata, foràs sese proripuit infesta, et stomachata biles fœmineas. Sed eam protinùs Ceres et Juno comitantur, visamque vultu tumido interrogavêre, cur truci supercilio tantam venustatem micantium oculorum coerceret.

« Opportunè adestis, Deæ, inquit Venus. Totis, oro, vestris viribus Psychen illam fugitivam mihi requirite. Nec enim vos utique domûs meæ famosa fabula latuerit. » Tunc illæ,

gnaræ quæ gesta sunt, palpare Veneris iram sævientem sic adortæ : « Quid tale deliquit tuus filius ut animo pervicaci nuptias illius impugnes. Ignorasne quot jàm sit annorum ? An puer tibi semper videbitur. »

Sic, gratioso patrocinio, Juno et Ceres, metu sagittarum, Cupidini quamvìs absenti blandiebantur. Sed Venus, indignata frigidè tractari suas injurias, rursùs concito gradu pelago viam capessit.

33. Psyché veut se cacher dans un temple de Cérès.

Intereà Psyche variis jactabatur discursibus, dies noctesque quærens maritum. Prospecto templo quodam in ardui montis vertice, «Fortè, inquit, istìc meus degit dominus. » Et illicò gradum accelerat. Jàmque gnaviter emensis celsioribus jugis, ædem ingreditur. Videt spicas frumentarias in acervum congestas, et spicas hordei videt; erant et falces aliaque messoriæ operæ instrumenta : sed cuncta passìm jacentia, confusa et, ut solet, æstu laborantium manibus projecta. Singula Psyche accuratè dividit, et discreta ritè componit : rata scilicet nullius Dei fana ac ceremonias negligere se debere. Talia sedulò curantem alma Ceres deprehendit, et protinùs exclamat : « Ah! Psyche miseranda, totum per orbem furens animi Venus tuum requirit vestigium; teque ad extremum supplicium expetit, et totis numinis sui viribus

ultionem flagitat. Tu verò rerum mearum tutelam nunc geris, et aliud quidquam cogitas nisi de tuâ salute? »

34. Elle supplie la Déesse de lui accorder un asile.

Tunc Psyche Cereris pedes advoluta, et uberi fletu rigans Deæ vestigia, humumque verrens crinibus suis, sollicitis precibus veniam postulabat : « Per ego te frugiferam tuam dextram istam deprecor, per lætas messium ceremonias, per tacita sacra cistarum, et per famulorum tuorum draconum pinnata curricula, et glebæ siculæ sulcamina, et currum rapacem, et lumine carentes Proserpinæ nuptias, et cætera quæ silentio tegit Eleusis, miserandæ Psyches, tuæ supplicis, infortunio fer opem. Inter istam spicarum congeriem patere vel pauculos dies delitescam ; quoàd Deæ tantæ sæviens ira spatio temporis mitigetur, vel certè meæ vires diutino labore fessæ, quietis intervallo leniantur. »

35. Cérès est sourde à ses prières.

Suscipit Ceres : « Tuis quidem lacrymosis precibus et commoveor et opitulari cupio: sed Veneris, cognatæ meæ, cum quâ etiàm antiquum fœdus amicitiæ colo, malam gratiam subire nequeo. Decede itaquè istis ædibus protinùs; et quòd à me retenta traditaque non fueris optimi consule. »

Contrà spem suam repulsa Psyche, et affecta duplici mœstitià, iter retrorsùm faciens, è jugo in subjectam convallem descendit; ubi in medio luco fanum prospicit solerti fabricâ constructum. Nullam vel dubiam spei melioris viam volens omittere, sed adire cujuscumque Dei veniam, ad sacratas fores accedit.

CAPUT OCTAVUM.

36. Psyché s'adresse à Junon.

Videt dona speciosa, et lacinias auro litteratas ramis arborum postibusque suffixas; quæ, cum gratià facti, nomen Deæ cui fuerant dicata testabantur. Tunc genu nixa, et manibus aram tepentem amplexa, detersis antè lacrymis, sic adprecatur.

« Magni Jovis germana et conjux, sive tu Sami tenes vetusta delubra, sive celsæ Carthaginis beatas sedes frequentas, sive Argivorum præsides mœnibus; quam cunctus Oriens Syriam veneratur, et omnis Occidens Lucinam appellat: sis meis extremis casibus Juno Sospita, meque, tot exantlatis laboribus defessam, imminentis periculi metu libera. »

37. Elle éprouve un nouveau refus.

Ad istum modum supplicanti Juno, cum totius sui numinis augustâ dignitate, apparet;

et protinùs « Quàm vellem, inquit, ô Psyche, nutum meum precibus tuis accommodare! Sed voluntati Veneris, nurûs meæ, quam semper filiæ loco dilexi, obstare me pudor non sinit. Præterea legibus, quæ servos alienos profugos invitis dominis vetant suscipi, prohibeor. »

Psyche perterrita omnem spem salutis deposuit, sic secum cogitans : « Jàm quæ possunt alia ærumnis meis adhiberi subsidia, cui ne Deæ quidem, quanquàm volentes, prodesse potuerunt? Quorsùm itaque, tot laqueis inclusa, vestigium porrigam? Quibus tectis, quibus tenebris abscondita magnæ Veneris inevitabiles oculos effugiam? Quin igitur masculum tandem sumis animum, et cassæ spei renuntias fortiter, et ultroneam te dominæ tuæ reddis, et vel serà modestià sævientes impetus ejus mitigas? Quì scis an etiàm quem dudùm quæritas illìc in matris domo reperias? »

38. Vénus monte à l'Olympe.

At Venus cœlum petit curru vecta quem ipsi Vulcanus subtili fabricâ studiosè poliverat, et nuptiale munus obtulerat, limæ tenuantis detrimento conspicuum, et ipsius auri damno pretiosum. Quatuor candidæ columbæ, lætis incessibus picta colla torquentes, jugum gemmeum subeunt, susceptâque dominâ hilares subvolant. Currum Deæ prosequentes gannitu constrepenti lasciviunt passeres; et cæteræ

quæ dulcè canunt aves, melleis modulis resonantes ejus adventum pronuntiant. Cedunt nubes et cœlum panditur; et summus æther cum gaudio suscipit Deam; neque obvias aquilas vel accipitres rapaces timet canora Veneris familia.

39. Jupiter lui permet de disposer de Mercure.

Ad regias Jovis arces se dirigit, et Mercurii dei vocalis operam sibi commodari postulat. Nec renuit Jovis cœrulum supercilium. Ovans illicò, Mercurio comitante, cœlo Venus demeat, eique sollicitè serit verba : « Frater Arcadi, non te præterit quanto jàm tempore delitescentem ancillam nequiverim reperire. Nunc tuo præconio præmium investigationis publicitùs edicatur. Indicia quibus illa possit cognosci manifestè designes; nè si quis occultationis illicitæ crimen subierit, ignorantiæ se possit excusatione defendere. » Et simul cum dicto, libellum ei porrigit ubi mandata sua omnia exaraverat. Quo facto, illa protinùs domum secessit.

40. Mercure annonce partout la récompense promise à celui qui découvrira la retraite de Psyché.

Mercurius non omisit obsequium : nàm per omnium ora populorum passìm discurrens, hæc prædicabat : « Si quis à fugâ retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam

regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, accipiet ab ipsâ Venere uxorem toto orbe pulcherrimam. »

Ad hunc modum pronuntiante Mercurio, tanti præmii cupido certatìm omnium mortalium studium arrexerat. Quæ res nunc vel maximè sustulit Psyches omnem cunctationem. Quum ipsa se ad fores Deæ contulisset, occurrit una de famulatione Veneris exclamans: « Tandem, ancilla nequissima, dominam habere te scire cœpisti, datura scilicet actutùm tantæ contumaciæ pœnas. » Et trahebat eam nequaquàm renitentem.

CAPUT NONUM.

41. Psyché se livre elle-même, et se voit maltraitée.

Ubi primùm Psychen inductam oblatamque sibi conspexit Venus, latissimum cachinnum extollit, et qualem solent furenter irati. Caputque quatiens et adscalpens aurem dexteram, « Tandem, inquit, dignata es socrum tuam salutare? an potiùs maritum, qui vulnere tuo periclitatur, intervisere voluisti? Sed esto secura; jàm enim excipiam te ut bonam nurum decet. Et introvocatis ancillis suis torquendam tradidit eam.

Illæ sequentes herile præceptum, misellam flagellis afflictam et cæteris tormentis excru-

ciatam, iterùm dominæ conspectui reddunt. Tunc rursùs sublato risu Venus, « Ecce, inquit, nobis prægnatione suâ commovere tentat miserationem, undè me præclarâ sobole aviam beatam scilicet faciat. Felix verò ego, quæ in ipso ætatis meæ flore vocabor avia; et vilis ancillæ filius Veneris nepos audiet! »

42. Vénus lui donne un énorme monceau de graines de toute espèce à diviser.

His editis involat in eam, vestemque plurifariàm diloricat; capilloque discisso et capite conquassato, graviter affligit. Dein accepto frumento et hordeo, et milio, et papavere, et cicere, et lente, et fabâ, commixtisque omnibus et acervatim confusis in unum glomicellum, sic Psychen alloquitur :

« Discerne seminum istorum confusam congeriem ; singulisque granis ritè dispositis atque sejugatis, antè vesperam opus expeditum approbato mihi. » Sic assignato tantorum seminum cumulo, Venus ad cœnam concessit. Nec Psyche manus admovet inconditæ illi et inextricabili moli : sed immanitate præcepti consternata, silens obstupescit.

43. Des millions de fourmis viennent à son secours.

Tunc formica, difficultatis tantæ laborisque miserta, et Deæ sævitiam execrata, discurrens gnaviter convocat cunctam formicarum acco-

larum classem. « Miseremini, inquiebat, Terræ omnipotentis agiles alumnæ; miseremini, et Amoris uxori, puellæ lepidæ periclitanti, vestrâ velocitate succurrite. »

Illicò ruunt aliæ, superque aliæ sepedum populorum undæ, summoque studio singulæ granatìm totum digerunt acervum; separatìmque distributis ac dissitis generibus, è conspectu perniciter abeunt. Sed initio noctis è convivio vino madens et flagrans balsama Venus remeat; visâque diligentiâ miri laboris, « Non tuum, inquit, nequissima, nec tuarum manuum istud opus. » Et frusto cibarii panis ei projecto, cubitum facessit.

44. Vénus lui demande de la laine prise sur des brebis extrêmement farouches.

Interìm Cupido, interiore domo et unici cubiculi custodiâ clausus, coercebatur acriter; partìm nè petulanti luxurie vulnus gravaret, partìm nè ad suam uxorem evolaret.

Primo diluculo vocatæ Psychæ Venus infit talia : « Videsne illud nemus quod fluvio præterluente attenditur? Oves ibi auri colore florentes incustodito pastu vagantur. Indè pretiosi de comâ velleris floccum mihi confestìm quoquomodò quæsitum afferas censeo. »

Perrexit Psyche volens, non obsequio quidem functura, sed requiem malorum præcipitio fluvialis saxi habitura. Tunc leni crepitu

dulcis auræ divinitùs inspirata, sic vaticinatur Arundo viridis :

« Psyche, tantis ærumnis exercita, neque tuâ miserrimâ morte meas sanctas aquas polluas, nec verò contrà formidabiles oves istius oræ feras aditum : quippè quæ de Solis flagrantiâ mutuato calore, truci rabie efferari, cornuque acuto et fronte saxeâ, et nonnunquàm venenatis morsibus in exitium mortalium sævire solent. Sed ubi Solis sedatus erit vapor, et pecua spiritûs fluvialis serenitate conquieverint, poteris sub illâ procerissimâ platano quæ mecum simùl unum fluentum bibit, latenter te abscondere ; et quum primùm mitigatâ furiâ laxaverint oves animum, percussis frondibus attigui nemoris, lanosum aurum reperies, quod passìm stirpibus connexum obhærescit. »

45. Psyche réussit, grâce aux sages conseils d'un roseau.

Sic Arundo simplex et humana Psychen ægerrimam salutem suam docebat. Nec monitione tàm salubri instructa illa cessavit : sed, observatis omnibus, furto facili thesaurum invadit, et auri flaventis mollitie congestum gremium Veneri reportat. Nec tamen dominæ fecerat satìs : quæ, contortis superciliis subridens amarùm, sic inquit :

« Non me præterit hujus quoque facti auctor adulterinus. Sed jàm nunc ego sedulò pe-

riclitabor, an oppidò forti animo singularique prudentià sis prædita. Videsne celsissimum illum montis ardui verticem, de quo fontis atri fuscæ defluunt undæ quæ Stygias irrigant paludes, et rauca Cocyti fluenta nutriunt? Indidem mihi de summi fontis penità scaturigine rorem rigentem haustum istà confestìm deferto urnulâ. »

Sic aiens crystallo dedolatum vasculum, insuper ei graviora comminata, tradidit.

CAPUT DECIMUM.

46. Psyché reçoit l'ordre d'aller puiser de l'eau à une fontaine inaccessible.

Studiosè gradum celerans Puella, montis extremum petit cumulum, certè vel illìc ventura vitæ pessimæ finem. Sed quum primùm jugo contermina loca appulit, videt rei vastæ lethalem difficultatem. Nàmque saxum magnitudine procerum, et inaccessis salebris lubricum, mediis è faucibus lapidis fontes horridos evomit. Dexterâ lævâque sævi dracones cotibus cavatis proserpunt, et longa colla porrecti, inconniventi vigiliæ luminibus addictis, pupulisque in perpetuam lucem excubantibus, audacissimo cuique metum ac terrorem injiciunt.

Jàmque et ipsæ semet muniunt vocales

aquæ : nàm «Discede, quid facis, vide, quid agis, cave, fuge, peribis » subindè clamant. Sic ab omni conamine deterrita et quasi mutata in lapidem Psyche, quamvìs præsenti corpore, sensibus tamen aberat; et inextricabilis periculi mole prorsùs obruta, lacrymarum etiàm extremo solatio carebat.

47. Un aigle la tire d'embarras.

Nec pios providi Numinis oculos innocentis animæ latuit ærumna : nàm optimi Jovis regalis avis illa, repentè propansis utrìmque pinnis, adfuit rapax aquila; et ob os puellæ prævolans, incipit :

« At tu, simplex alioquìn, et expers rerum talium, sperasne te sanctissimi nec minùs truculenti fontis vel unam stillam posse furari, vel omninò contingere ? Diis etiàm ipsique Jovi aquæ istæ Stygiæ sunt formidabiles ; quodque homines dejerant per numina Deorum, Dii per Stygis majestatem dejerare solent. Sed cedò istam urnulam. » Et protinùs arreptam, completamque festinanter, inter sævientes draconum dentes et trisulca vibramina, remigium dextrâ lævâque porrigens, avis ad Puellam retulit.

48. Vénus la soumet à une dernière épreuve, la plus terrible de toutes.

Acceptam cum gaudio plenam urnam Psyche Veneri dedit : nec tamen nutum sævientis Deæ

vel tùnc expiare potuit; quæ majora atque pejora comminans : « Jàm tu quidem, ait, videris maga quædam mihi et cata prorsùs malefica, quæ talibus præceptis meis obtemperâsti gnaviter. Sed adhùc unum hoc, mea pupula, ministrare debebis. Sume istam pyxidem (dedit) et usquè ad Inferos et ipsius Orci ferales penates te dirige. Tunc conferens pyxidem Proserpinæ, « Petit de te Venus, dicito, sibi mittas modicum de tuâ formositate, vel ad unam saltem dieculam sufficiens : nàm quod habuit, dùm filium curat ægrotum, consumpsit atque contrivit omne. »

49. Une Tour donne à Psyché de sages avis.

Tunc Psyche vel maximè sensit ultimas fortunas suas, et ad promptum exitium sese compelli manifestè comperit, quæ suis pedibus ultrò ad Tartarum Manesque demeare cogeretur. Nec cunctata diutiùs conscendit quampiam turrim præaltam, indidem se datura præcipitem. Sic enìm rebatur ad Inferos rectè atque pulcherrimè se posse descendere.

Sed Turris prorumpit in vocem subitam : « Ecquid te, inquit, præcipitio misella quæris exstinguere? Quid jàm novissimo periculo laborique isti temerè succumbis? nàm si spiritus corpore tuo semel fuerit sejugatus, ibis quidem profectò ad imum Tartarum, sed indè nullo pacto redire poteris. Mihi ausculta. La-

cedæmon, Achaiæ nobilis civitas, non longè sita est. In iisdem finibus, deviis latentem locis quære Tænarum. Inibi spiraculum Ditis, et per portas hiantes monstratur iter, quod te ducet ad ipsam Orci regiam.

« Sed non hactenùs vacua debebis per illas tenebras incedere; verùm offas polentæ mulso concretas ambabus gestare manibus, atque in ipso ore duas ferre stipes. Quum ad flumen venies, Charonti dabis, nauli nomine, de stipibus quas feres alteram; sic tamen ut ipse suâ manu de tuo sumat ore.

50. Elle lui enseigne les moyens d'aller aux enfers.

« Transmisso fluvio, canis pergrandis, trijugo et satis amplo capite præditus, tonantibus faucibus oblatrans, te territabit. Hunc, antè ipsum limen et atria Proserpinæ semper excubantem, cicuratum unius offulæ prædâ, facilè præteribis; ad ipsamque protinùs Proserpinam introibis, quæ te comiter excipiet ac benignè; imò et molliter assidere et prandium opiparè suadebit sumere.

« Sed tu et humi reside et panem sordidum petito. Deindè nuntia cur adveneris; susceptoque quod offeretur, rursùs remeans, canis sævitiem offulâ reliquâ redime: ac deindè avaro nautæ datâ quam reservaveras stipe, transmissoque fluvio, recalcans priora vestigia, ad hoc Solis lumen redito.

« At multa tibi de Veneris insidiis orientur ut vel unam de manibus omittas offulam. Nè putes istud polentarium damnum leve, alterâ enim perditâ, lux hæc tibi prorsùs denegabitur. Hoc demùm observandum præcipuè tibi censeo, nè velis aperire vel inspicere illam quam fêres pyxidem, vel omninò formositatis divinæ abditum cures thesaurum. »

CAPUT UNDECIMUM.

51. Psyché descend au séjour des morts.

Sic Turris illa propitiæ vaticinationis munus explicuit. Nec morata Psyche petit Tænarum; sumptisque ritè stipibus illis et offulis, infernum decurrit meatum. Jàmque confectâ bonâ parte terribilis viæ claudum asinum offendit lignis onustum cum claudo agasone; tunc decidente sarcinâ, homo Psychen rogavit ut sibi funiculos aliquot porrigeret. At illa vel unius offulæ jacturam verita, prædictarum insidiarum memor, asinarium tacita præteriit.

Mox, datâ vectori stipe, quum pigrum fluentum transmearet, quidam supernatans senex mortuus, putres attollens manus, oravit puellam ut miserum corpus intrà navigium traheret. Hìc quoque fraudem suspicata, supernatantis mortui neglexit desiderium.

52. Elle revient au séjour de la lumière, mais sa curiosité la perd une seconde fois.

Amne superato, modicùm progressa in textrices anus incidit, quæ rogaverunt ut sibi telam struentibus manus paulisper accommodaret : sed harum quoque subdolas preces eâdem constantiâ respuit. Demùm offulæ cibo sopitâ canis horrendi rabie domum Proserpinæ penetrat. Nec offerentis hospitæ sedile delicatum vel cibum beatum amplexa, sed antè pedes Deæ residens humilis et cibario pane contenta, Veneream pertulit legationem.

Statìm secretò repletam conclusamque pyxidem suscipit, et offulæ alterius fraude obseratis Cerberi latratibus, et residuâ stipe navitæ redditâ, longè vegetior ab Inferis recurrit.

Repetitâ atque adoratâ hâc candidâ luce, temerariâ curiositate capitur. Et « Egone, inquit, inepta divinæ formositatis gerula, nec tantillùm quidem indidem mihi delibo, vel sic illi conjugi meo formóso placitura? » Et cum dicto reserat pyxidem; nec quidquam ibi rerum, nec formositas ulla, sed infernus somnus ac verè Stygius; qui invadit eam crassi soporis nebulâ, cunctis ejus membris perfunditur, et in ipso vestigio ipsâque semitâ collapsam possidet.

53. Cupidon la rend à la vie.

Et jacebat immobilis Psyche, et nihil aliud

quàm dormiens cadaver. Sed Cupido jàm cicatrice solidà revalescens, nec diutinam suæ uxoris absentiam tolerans, per arctissimam cubiculi quo cohibebatur elapsus fenestram, refectisque pinnis aliquantâ quiete, celer evolat.

Ad Psychen properat suam; detersoque curiosè somno et rursùm in pristinam pyxidis sedem recondito, uxorem innoxio punctulo suæ sagittæ suscitat. Et « Ecce, inquit, denuò perieras misella simili curiositate. Sed interìm quidem provinciam, quæ tibi matris meæ præcepto mandata est, exsequere gnaviter : cætera egomet videro. »

54. Jupiter se déclare en faveur de Cupidon.

His dictis, Amor levis in pinnas se dedit. Psyche verò confestìm Veneri munus reportat Proserpinæ. Intereà Cupido, amore nimio peresus et matris suæ severitatem pertimescens, alis pernicibus cœli penetrat verticem. Ibi magno Jovi supplicat, suamque causam probat. Jupiter jubet à Mercurio Deos omnes ad concionem convocari protinùs; statìmque completo cœlesti theatro, his verbis loquitur. « Dii, Deæque omnes, hunc adolescentem manibus meis nutritum et educatum esse scitis profectò : cujus primæ juventutis impetus fræno quodam coercendos existimavi. Sat est quotidianis eum fabulis ob cujusque modi cor-

ruptelas infamatum. Tollenda est omnis occasio, et luxuria puerilis nuptialibus pedicis colliganda. Uxorem elegit; teneat, possideat. »

Et ad Venerem collatâ facie, « Nec tu, inquit, filia, quidquam contristare. Jàm faxò nuptias non impares, sed legitimas. » Et illicò per Mercurium arripi Psychen, et in cœlum perduci jubet. Porrecto ambrosiæ poculo, « Sume, inquit, Psyche, et immortalis esto; istæ vobis erunt perpetuæ nuptiæ. »

55. Noces de l'Amour et de Psyché.

Nec mora : cœna nuptialis affluens exhibetur. Accumbebant summum torum Maritus et nova Nupta; sic et cum suâ Junone Jupiter, ac deindè per ordinem omnes Dii. Tunc poculum nectaris, quod vinum Deorum est, Jovi quidem suus pocillator ille Ganymedes, cæteris verò Liber ministrabat. Vulcanus cœnam coquebat. Horæ rosis variisque floribus purpurabant omnia. Gratiæ spargebant balsama. Musæ voce canorâ personabant. Apollo cantavit ad citharam. Venus ipsa concinnè saltavit.

Sic nupsit Cupidini Psyche; et nascitur illis maturo partu filia quam Voluptatem vocamus.

TABLE DES MATIÈRES.

ÉNIGMES, LOGOGRIPHES, CHARADES.

MÉLANGES EN PROSE.

AUTEURS ANCIENS.

ÉCRIVAINS MODERNES.

CORRESPONDANCE.

HISTORIETTES, BONS MOTS.

PROVERBES D'ERASME.

VEILLÉES AMUSANTES.

MATIÈRES DE VERS PROPOSÉES.

PROSE. — MORCEAU PROPOSÉ.

TABLE ALPHABÉTIQUE.

ERRATA.

Page 2, ligne 41. Amphytrion : *lisez* Amphitryon.
Page 3, ligne 2. ouvre, *lis.* œuvre.
P. 10, l. 9. esse, *lis.* ille.
P. 59. C'est par erreur qu'on a annoncé la mort de M. Viel.
P. 60, l. 15. abscinde, *lis.* abscide.
P. 60, l. 19. Summa salit, *lis.* Summa volat.
P. 60, l. 19. prima salit, *lis.* prima micat.
P. 117, l. 17. 5, *lis.* 5 *bis*.
P. 129, l. 21. nonnumquàm, *lis.* nonnunquàm.
P. 130, l. 22. fraudium, *lis.* fraudum.
P. 161. La pièce sur Solon est du Père Lejay.
P. 177, l. 6. universus, *lis.* universæ.
P. 225, l. 26. existimaverat, *ajoutez une virgule.*

Fin du tome premier.

